



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio V. De Processionibus divinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

personæ & hypostasis in eodem sensu indifferenter usurpans.

Obj. 2. Verus & unus Deus est Pater Christi. Sed tres personæ non sunt Pater Christi. Ergo tres personæ non sunt unus verus Deus. *R. dist. maj.* Unus & verus Deus, sumptus in suppositione inadequata pro prima persona divina, est Pater Christi, C. maj. Unus & verus Deus, sumptus in suppositione adequata pro omnibus personis divinis, est Pater Christi, N. maj. & concessa min. dist. cont. Ergo tres personæ non sunt unus verus Deus, sumptus in suppositione inadequata, C. conf. Sumptus in suppositione adequata, N. conf.

Obj. 3. Pater, Filius, & Spiritus S. sunt alius, & alius, & alius, Sed Pater, Filius, Spiritus S. sunt Deus. Ergo Deus est alius, & alius, & alius. *R. dist. maj.* Pater, & Filius, & Spiritus S. sunt alius, & alius, & alius ratione personalitatum, C. major. Ratione essentiae, N. major. & concessa min. dist. conf. Ergo Deus est alius, & alius, & alius ratione personalitatum, C. conf. Ratione essentiae, Neg. conf. Itaque quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres personæ distinctæ, verus Deus, quamvis unus ratione essentiae, est tres personæ realiter distinctæ.

Obj. 4. Tres personæ divinæ sunt tres substantiæ, Ergo sunt tres Dii. Ergo non sunt unus Deus. *R. Tres personæ divinas esse tres substantias relativas, sed identificatas uni essentiae & substantiæ absolutæ, & ita esse tres substantias relativas, habentes unam essentiam, unam substantiam absolutam, unam divinitatem. Unde nego utramque conf.*

Obj. 5. Si Pater & Filius sunt unus & idem Deus, unus & idem Deus est genitus, & non est genitus. Falsum conf. Ergo, &c. *Resp.* Unum & eundem Deum, sumptum in suppositione adequata, esse genitum secundum unam personam, & non esse genitum secundum aliam, seu esse genitum quatenus est filius, & non esse genitum quatenus est pater: quod est verum.

At inq. Ergo in uno & eodem sunt prædicata contradictoria. *R.* Esse prædicata contradictoria in uno & eodem, qui simul est plures personæ realiter oppositæ & distinctæ. Talis autem est Deus, qui simul est una essentia absoluta, & plures personæ realiter oppositæ.

Obj. 6. Qui nec gignit, nec gignitur, nec procedit, non est verus Deus. Sed tres personæ nec gignunt, nec gignuntur, nec procedunt. Ergo tres personæ non sunt verus Deus, proindeque non sunt unus Deus. *Resp. neg. min.* Nam hæc propositio, Tres personæ non gignunt, nec gignuntur, nec procedunt, est propositio universalis, & æquivalens isti: Omnes personæ non gignunt, nec gignuntur, nec procedunt; quæ æquivaleret huic: Nulla persona gignit, nec gignitur, nec procedit: quod est falsum.

Obj. 7. Si in Deo sunt tres personæ, & una essentia, in Deo est quaternitas, non trinitas. *R. neg. seq.* Quia una illa essentia identificatur tribus personis, & sic non facit cum illis numerum. *At inq.* In Deo erunt tres res relativæ, & una res absoluta. Ergo in Deo erunt quatuor res. Ergo in Deo erit quaternitas, non trinitas. *R. neg.* in Deo tres res relativæ cum re absoluta esse quatuor res; obstat enim identitas rei absolutæ cum tribus rebus relativis.

Obj. 8. Non est una essentia in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Ergo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non sunt unus Deus. *Neg. ant. Probabis.* Si esset una essentia in Patre & Filio & Spiritu S. non distinguerentur inter se realiter. *Neg. seq. Probabis.* Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Sed Pater, & Filius, & Spiritus S. erunt eadem uni tertio. Ergo erunt iidem inter se. Ergo non distinguerentur inter se realiter. *Resp. dist. maj.* Quæ sunt eadem uni tertio finito, & incommunicabili, sunt eadem inter se, C. maj. Quæ sunt ea-

dem uni tertio infinito, & propter infinitam secunditatem communicabili pluribus realiter oppositis: proindeque realiter distinctis, qualis est essentia divina, N. maj.

Dices. Si est una divinitas in Patre, & Filio, & Spiritu S. valebit hic syllogismus expositivus: Hæc divinitas est Pater: Hæc divinitas est Filius: Ergo Filius est Pater. Ergo, &c. *Resp.* Hunc syllogismum non esse expositivum, nisi specie tenus, & esse re ipsa categoricum: nam medius terminus, nempe hæc divinitas, sic est singularis formaliter, ut sit æquivalenter universalis: quia sic est unica numero divinitas, ut propter secunditatem sit communicabilis, & communicetur pluribus realiter distinctis. Unde in allato syllogismo medius terminus est capax distributionis, & sic exprimi potest: Quidquid est divinitas, cum ergo non distribuatur: nam falsæ sunt hæc propositiones: Quidquid est divinitas, est Pater: quidquid est divinitas, est Filius: syllogismus non est in forma, & ita non valet conclusio.

Obj. 9. Si Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt unus Deus, simul sunt tres res, & una tantum res. Sed hoc implicat. *R.* Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse simul tres res, & unam tantum rem, non sub eadem, sed sub diversis rationibus: sunt enim tres res ratione personalitatum, & una tantum res ratione essentiae, in quo nulla est implicancia.

Quæres utrum mysterium Trinitatis possit cognosci evidenter lumine naturali. *Resp.* Non posse: nam Christus dicit Matth. c. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et ratio est, quia Deus non cognoscitur naturaliter, nisi ex creaturis. Sed creaturæ non ducunt in cognitionem Dei, ut trinus est in personis, sed tantum ut unus est in essentia, eod quod causentur ab eo per omnipotentiam, quæ una & eadem est in tribus personis. Ergo, &c.

Obj. Naturaliter cognoscimus Deum esse omnipotentem. Sed ad omnipotentiam pertinet Deum posse generare Filium ejusdem secum essentiae. Item naturaliter cognoscimus sine consortio & societate non esse perfectam felicitatem. Ergo cum etiam naturaliter cognoscamus Deum esse beatissimum, consequens est naturaliter, etiam cognosci in Deo esse pluralitatem personarum. Item naturaliter notum est, communicare se infinito modo, esse perfectionem infinitam, proindeque Deum non posse ea carere. Ergo naturaliter notum est in Deo unam personam alteri communicare essentiam divinam. Item multi veteres Philosophi mentionem fecerunt mysterii Trinitatis.

Resp. ad 1. neg. min. Nam ad omnipotentiam pertinet tantum, ut Deus possit ad extra producere plura ac plura, & perfectiora ac perfectiora in infinitum. *R. ad 2.* Naturaliter cognosci non posse, quod ad perfectam felicitatem requiratur consortium & societas in ente infinite perfecto. *R. ad 3.* Non esse naturaliter evidens communicationem fieri posse sine divisione naturæ; & ita non est naturaliter evidens, communicationem ad intra esse possibilem. *Ad 4.* *R.* Philosophos illos notitiam Trinitatis, si quam habuerunt, vel ex traditione fidelium, vel ex lectione librorum sacrorum hausisse.

DISPUTATIO V.

De Processionibus divinis.

ARTICULUS I.

Utrum Filius in divinis procedat à Patre.

Resp. 1. Filius in divinis procedit à Patre. Est de fide. *Prob. 1.* ex Scriptura: nam Filius de se ipso ait Joan. cap. 7. *A me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio enim, quia ab ipso sum, & ipse me misit.* Et cap. 8. *Ego enim*

enim ex Deo processit, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit. Et cap. 16. Exivi à Patre, & veni in mundum. Unde Pater sic alloquitur Filium, Psalm. 109. Ex utero ante luciferum genui te. Scripturam Patres unanimi consensu sequuntur, & de reali processione Filii à Patre interpretantur.

Prob. 2. Ex Conciliis, ex Nicæno & Constantinopolitano, in Symbolo, ubi Filius dicitur esse genitus, non factus, & ex Patre natus. 2. Ex omnibus aliis Conciliis generalibus, à quibus Symbolum Nicænum & Constantinopolitanum approbatum & confirmatum est. 3. Ex Lateranensi IV. cap. Firmiter, ubi definitur Filium à solo Patre esse. Conciliis addimus Symbolum Athanasii, in quo dicitur: Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.

Prob. 3. ratione. Si Filius non procederet à Patre, non distingueretur ab eo realiter. Falsum consequens. Ergo, &c. Minor est de fide. Prob. seq. maj. In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. At si Filius non procederet à Patre, non haberet cum eo relativam oppositionem. Ergo non distingueretur ab eo realiter. Major continet axioma theologicum, fundatum in communi consensu Patrum, & in evidenti ratione, quia in ente supremo, & simplicissimo, ea omnia unum esse necesse est, quæ inter se non opponuntur; & in tali ente nulla alia oppositio reperiri potest, quam relativa. Prob. seq. min. quia in Deo nulla alia oppositio relativa, præter eam quæ fundatur in processione unius personæ ab alia, excogitari potest, quæ non repugnet infinitæ ejus perfectioni.

Resp. 2. Filius in divinis procedit à solo Patre. Est de fide.

Prob. 1. Ex Concilio Lateranensi IV. cap. Firmiter, ubi dicitur: Pater à nullo, Filius autem à solo Patre, ac Spiritus Sanctus ab utroque pariter. 2. Ex Symbolo Athanasii, verbis supra relatis. 3. Ratione, quia si Filius non procedit à solo Patre, vel procedit etiam à se ipso, vel ab essentia divina, vel à Spiritu Sancto, vel denique à persona aliqua divina, distincta à Patre & Spiritu Sancto. Sed nihil horum dici potest. Non primum, aut secundum, ut patet ex dictis a. 1. Non tertium, quia Spiritus Sanctus procedit ab ipso Filio, ut probabitur. Non quartum, quia tres tantum sunt personæ in Deo. Ergo, &c.

Resp. 3. Processio Filii à Patre in divinis, est processio ad intra, non ad extra. Est de fide.

Prob. Quia productio ad intra dicitur ea, quæ habet terminum immanentem producenti. Sed processio Filii à Patre in divinis habet terminum perfectissimè immanentem producenti: Filius enim in divinis perfectissimè immanet Patri; cum una & eadem sit natura & substantia Patris & Filii in divinis. Unde Filius ipse, Joan. c. 14. dicit: Ego in Patre, & Pater in me est. Ergo, &c.

Resp. 4. In divinis processio Filii à Patre non est effectio. Est de fide, & expressè definitum à Nicæno, & Constantino in Symbolo.

Prob. Quia effectio propriè dicta vel est actio, qua res transit à non esse ad esse, vel productio libera Deo, & rei contingentis; vel actio qua res quæ producitur, accipit esse diversum & distinctum ab esse rei producentis. At 1. Filius in divinis nunquam transit à non esse ad esse, ut constat ex Nicæno, anathematizante eos, qui de Filio dicunt: Erat quando non erat. Ex Constantinopolitano, desinente in Symbolo: Filium ex Patre natum esse ante omnia secula. Et ex Lateranensi IV. dicente c. 1. Filium esse à Patre absque initio. Et cap. 2. Patrem ab æterno generando Filium, suam ei substantiam dedisse. 2. Productio Filii in divinis non est libera Patri, sed absolutè necessaria: nec Filius in divinis est ens contingens, sed planè necessarium, ut constat ex Nicæno anathematizante eos, qui Filium Dei mutabilem esse affirmant. 3. Filius in divinis non accipit esse diversum ab esse Patris: accipit

enim ipsam essentiam, & naturam Patris, ut constat ex Nicæno & Constantinopolitano, desinientibus in Symbolo: Filium esse Patri consubstantialem; & ex Lateranensi IV. cap. 2. verbis modò laudatis, &c. Ergo processio Filii à Patre non est effectio.

Resp. 5. In divinis processio Filii à Patre est generatio propriè dicta. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura: nam Pater æternus alloquens Filium, sic ait Psalm. 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et Psalm. 109. Ante luciferum genui te. Item Isaias de eodem Filio Dei in carne mortali venturo vaticinans, sic exclamat cap. 53. Generationem ejus quis enarrabit? Quæ verba non solum de ejus incarnatione temporanea, sed etiam & potissimum de æterna ejus processione intelligenda sunt. Scripturæ subscribunt Patres omnes.

2. Ex Conciliis generalibus, Nicæno scilicet, Constantinopolitano, & Lateranensi IV. à quibus expressè definitur Filium Dei esse genitum. Conciliis generalibus adjungere possumus Symbolum Athanasii.

3. Ratione, quia in divinis Pater est propriè pater, & Filius est propriè filius: nam, ut ait Nazianzenus in tractatu de fide: Quis Catholicorum ignorat Patrem verè esse Patrem, Filium verè esse Filium, &c. Sed de ratione patris est generare, & de ratione filii generari. Ergo Filius in divinis generatur à Patre. Ergo processio Filii à Patre est generatio. Unde rectè Synodus Forojulienfis sic ait: Pater verus Deus, verè & propriè Pater est, qui genuit ex se, idest, ex sua substantia, intemporaliter & sine initio verum Filium... & Filius verus Deus, verè & propriè est Filius, qui ante omnia secula genitus est de Patre intemporaliter, & absque ullo initio.

Obj. 1. Si Filius procedit à Patre, Pater est causa Filii. Falsum consequens. Ergo, &c. Resp. neg. seq. major. Nam Filius non procedit à Patre, ut aliquid contingens, & cum dependentia accipiens naturam distinctam à natura Patris. Unde Filius in divinis non potest dici effectus Patris, nec Pater dici causa Filii; cum causa apud nos significet id, à quo est aliquid contingens, dependens, & naturæ realiter distinctæ à natura causalantis.

At inquires. Si Filius procedit à Patre, Pater est principium Filii. Ergo est etiam causa. R. neg. consequens. Ratio disparitatis est, quia principium significat præcisè id, à quo est aliquid. Græci tamen Patres vocant Patrem æternum aition Filii, quia nomine causæ non plus intelligunt, quam Latini nomine principii.

Obj. 2. Si Filius procedit à Patre, non est Deus, falsum consequens. Ergo, &c. Neg. seq. maj. Probabis, Omne quod ab alio producitur, non est Deus. Ergo, &c. R. dist. ant. Quod ab alio producitur secundum essentiam, non est Deus, C. ant. Quod ab alio producitur secundum proprietatem relativam tantum, N. ant. Filius autem in divinis producitur à Patre non secundum essentiam, sed secundum proprietatem relativam tantum.

At inquires. De ratione Dei est, ut sit primum ens, à quo est omne aliud ens. Ergo Filius non est Deus, si producitur à Patre, etiam producatur ab eo secundum proprietatem aliquam relativam tantum. R. dist. ant. De ratione Dei est, ut sit primum ens ratione essentiae, C. ant. Ratione cujuscumque proprietatis personalis, N. ant. & consequens. Itaque Filius est Deus, quamvis procedat à Patre, quia licet non sit primum ens ratione proprietatis personalis, quæ producitur, est primum ens ratione essentiae: nam essentia Filii, quæ est essentia Patris, est à se, & planè improducta.

At inquires. Si Filius procedit à Patre, non est primum ens ratione essentiae. Ergo, &c. Neg. seq. ant. Probabis, Si Filius procedit à Patre, habet essentiam ab alio, nempe à Patre. Ergo, &c. R. dist. seq. ant. Filius habet essentiam ab alio per productionem ipsius essentiae, N. seq. ant. Per communionem ipsius essentiae, C. seq. ant. & neg. consequens. Itaque Filius in divinis sic procedit à Patre, ut ab illo accipiat proprietatem.

prietatem personalem per productionem, & essentiam divinam per communicationem. Unde essentia divina, etiam ut est in Filio, est improducta, est ens à se, est ens primum; & consequenter Filius ratione essentiae, est ens improductum, ens à se, ens primum. Quod sufficit, ut sit Deus.

Dices 1. Si Filius procedit à Patre, indiget illo, & dependet ab illo. Ergo, si Filius procedit à Patre, est ens imperfectum, & consequenter non est Deus. *R. neg. seq. ant.* Ratio negandi est, quia Filius tanta necessitate existit, quanta Pater; & Filius tanta necessitate habet essentiam divinam, quanta Pater: nam tam necesse est esse tres personas habentes divinitatem, quam necesse est esse Deum. Unde ex eo quod Filius procedat à Patre, sequitur tantum quod inter Patrem & Filium detur ratio principii & termini, ratio dantis & accipientis, ratio producentis & producti, secluis imperfectionibus omnibus, quae reperiuntur in productione creaturarum.

Dices 2. Act. cap. 20. dicitur: *Beatus est dare, quam accipere.* Ergo si Filius in divinis accipit esse à Patre, est inferior Patre, & ita non est Deus. *R.* in divinis non esse beatus dare, quam accipere. Ratio est, quia in divinis, persona quae accipit esse ab alia, habet in se necessitatem & fundamentum suae existentiae: unde existit ex intrinseca & absoluta necessitate existendi, & ita non existit beneficio personae à qua accipit esse, nec magis debet illi existentiam suam, quam sibi. *Nota.* In divinis persona producta existit necessario, & est necessario ab alia, non solum quia alia est principium necessarium productionis ejus, sed etiam quia ipsa per se in frustrabilem habet existentiam existendi, & esse à tali persona; seu, quod idem est, quia ipsa per se in frustrabiliter exigit habere tale principium necessarium suae productionis: igitur non magis debet suum esse personae producenti, quam sibi. *Nota iterum.* Sicut persona produciens per se in frustrabiliter exigit, ut sit persona producta; ita persona producta per se exigit in frustrabiliter, ut sit persona produciens. Unde non magis pendet persona producta à producente, quam produciens à producta; nec minus pendet persona produciens à producta, quam producta à producente: vel melius, neutra ab altera dependet, sed est inter utramque mutua connexio, mutua exigentia in frustrabilis, aequalis & absoluta existendi necessitas.

Dices 3. Si Filius procedit à Patre, Pater est prior Filio. Ergo, &c. *R. dist. seq. ant.* Pater est prior Filio prioritatem originis, C. seq. ant. Prioritate naturae, vel temporis, vel dignitatis, N. seq. ant. & consequenter. Itaque Pater est prior Filio prioritatem originis: prius enim origine dicitur illud, quod est principium alterius. At non est prior Filio prioritatem naturae, quia non est causa Filii; nec prioritatem temporis, quia non existit ante Filium: non enim fuit, antequam esset pater; neque fuit pater, antequam haberet filium; nec denique prioritatem dignitatis: nam Filius habet formaliter totam essentiam divinam sicut Pater, imò & ipsam paternitatem, non quidem formaliter, sed 1. per immanentiam perfectissimam: totus enim Pater perfectissimè immanet Filio, & vicissim. 2. Per æquivalentiam in filiatione: nam in divinis filiatione æquivaleret paternitati, & tam dignum est in Deo esse filium, quam esse patrem, ut faciliè intelligitur ex dictis ad instantiam 2.

ARTICULUS II.

Utrum Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio.

Spiritum Sanctum non à Patre, sed à solo Filio ex non entibus productum esse, docuerunt Arianæ, ut testatur S. Augustinus in lib. de heres. 49. *Esse Filium creaturam*, inquit, *Spiritum vero sanctum creaturam creaturam, hoc est, ab ipso Filio creatum volum.* Arianis annuendum videntur Macedoniani, qui videntur eodem planè modo errasse circa Spiritum S., ut innuit idem S. Augustinus eod. lib. heres. 52. Hinc in

Constantinopolitano Symbolo pro Spiritu S. additum est: *Qui ex Patre procedit.*

In oppositum errorem impiegit sæculo quinto Theodoretus, cum adversus Cyrillum pugnaret: nam in refutatione noni anathematismi illius, scribere ausus est, impium & blasphemum esse, quod Spiritus Sanctus etiam ex Filio sit, asserere. Sed cum Theodoretus ea, quae contra Cyrillum pro Nestorio scripserat, in Calcedonenſi Synodo damnaſſet, sopita est hæc controversia.

Octavo sæculo, imperante Constantino Copronymo, quaestio de processione Spiritus Sancti ex Filio inter Græcos & Latinos ventilata est in Synodo Gentiliaca ad Luteriam, ut Ado testis est in Chronico. Nono verò sæculo in apertam hæresim erupit, auctore Photio. Hic cum, pulſo in exilium S. Ignatio, Constantinopolitano Patriarcha, sedem ejus invaſiſſet, eumque in Conciliabulo damnaſſet, à Nicolao I. Pontifice excommunicatus est. Quam ob rem furens, coacta Synodo, ipsum Nicolaum excommunicavit, varias in Ecclesiam calumnias fabricavit, multaque ei crimina, & multas hæreſes objecit, quatum una hæc fuit, quod Latini assererent Spiritum S. non solum ex Patre, sed etiam ex Filio procedere. Denique catholicum dogma scriptis convellere aggressus est.

Undecimo sæculo, quo Theophilactus, Bulgarorum Episcopus, vixit, & Photii schismate implicatum se probavit, in commentario suo ad cap. 3. Joan. ubi reprehendit Latinos, quod dicant Spiritum Sanctum procedere à Filio; Michael Cerularius, Constantinopolitanus Episcopus, contra Romanam Ecclesiam debacchatus est, & promulgavit Romanum Pontificem, omnesque cum eo Occidentales excommunicatos esse, quod contra decretum Ephesinae Synodi, has voces, *Filioque*, Symbolo inseruissent, adeoque, deturbato Episcopo Romano, ad se, qui post Romanum primus esset Episcopus, Ecclesiae primatum pertinere. Eodem sæculo, Urbano II. Pontifice, in Barenſi Concilio contra Græcos pro catholico dogmate arriter decertavit, eorumque loquacitatem repressit Sanctus Anselmus, Cantuariensis Archiepiscopus.

Sæculo decimo tertio Græcos Ecclesiae Romanae reconciliatos esse sub Innocentio III. conjicere licet ex cap. 4. Concilii Lateranensis IV. Sed brevè postea, pro sua mobilitate, ad schisma suum, erroresque suos reversi sunt. Eodem sæculo Græcam inter & Latinam Ecclesiam pax constituta est opera Gregorii X. summi Pontificis, & Michaelis Palaeologi Comneni, Græcorum Imperatoris, anno 1274. in generali Synodo Lugdunensi, in qua Greci Spiritus Sancti ex Patre & Filio processionem professi sunt, & ter græcè & latinè in Symbolo, illud: *Qui ex Patre Filioque procedit*, cantatum est in Milsa solemni. Sed novem post annis, Michael mortuo, ad dissensionem & hæresim rediere Græci, promotore Andronico Michaelis filio, schismatis & erroris patrii studiosissimo.

Sæculo decimo quinto, Eugenio IV. Romanam sedem tenente, & Joanne Palaeologo imperante Constantinopoli, Latinos inter & Græcos instaurata concordia & amicitia est in generali Synodo Florentina, anno 1439. Adfuit Imperator ipse, & post multas altercationes, Marco Ephesiorum Episcopo nequequam repugnante & reclamante, Græci cum Latinis ex Patre Filioque Spiritus S. processionem professi sunt. Sed paulò post reversi sunt ad vomitum, agentibus eodem Marco, & aliquot aliis seditiosis. Denique post annos quatuordecim, Deo Græcorum levitatem & superbiam justè ulciscente, Orientis Imperium funditus everſum est, expugnata à Turcis Constantinopoli.

Porrò in Florentino Concilio non modò de processione Spiritus Sancti à Filio, sed etiam de additione hujus vocis, *Filioque*, à Latinis facta in Symbolo, acriter disputatum est. Quonam autem tempore, quoque auctore, in Ecclesia Latina hæc additio facta sit, & Symbolum cum hac additione publicè inter

inter Milsarum solemnia cantari cœperit, incertum est. Justinus II. primo Imperii sui anno, qui fuit Christi 565. iussit Symbolum Constantinopolitanum in Orientalibus Ecclesiis cani. Idem pro Ecclesiis Hispaniarum constitutum est in Toletana Synodo tertia, can. 2. ann. 589. Recaredi Regis quarto. Octavo saltem sæculo ad finem vergente, cani cœpit à Gallis & Germanis; & anno 809. jam ab illis canebatur cum additione, *Filioque*, ut colligitur ex Actis Collationis Legatorum Synodi Aquilgranaensis, anno 809. celebratæ, cum Leone Papa tertio, qui hanc consuetudinem nondum inveteratam canendi Symbolum Constantinopolitanum cum additione, *Filioque*, improbavit. Hanc tamen consuetudinem aliquantò post eodem sæculo ipsamet Romana Ecclesia videtur recepisse, Nicolao I. autore, vel alio ejus decessore. Hoc enim Nicolao videtur exprobrare Photius, in encyclica Epistola, quam contra Nicolaum scripsit ad primarias Sedes Orientales.

Græci, ut ex dictis apparet, nobiscum profitentur contra Arianos & Macedonianos, Spiritum S. procedere à Patre. Hoc etiam expressè dicit Scriptura, Joan. cap. 15. *Cum venerit Paraclitus*, inquit Christus, *quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, &c.* Et post Scripturam, unanimi consensu docent Patres, tum Græci, tum Latini, & cum Patribus Concilia, tum particularia, tum generalia. Tota ergo cum Græcis difficultas nobis est de processione Spiritus S. à Filio, quam negant; & nos, tanquam veritatem pertinentem ad fidem, sequentibus paragraphis demonstrabimus.

§. I.

Processio Spiritus Sancti à Filio, probatur ex Scripturis.

1. Joan. cap. 16. sic ait Christus: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ergo Filius mittit Spiritum Sanctum. Ergo mittit eum vel per imperium, sicut dominus mittit servum; vel per consilium, sicut sapiens mittit eum, quem instruit; vel denique per productionem naturalem, sicut planta mittit folia & flores. Non primum, aut secundum: nam neutro illo modo mitti potest verus Deus: Sanctus autem Spiritus verus Deus est. Ergo tertium dicendum est.

2. Eodem illo cap. sic loquitur Christus de Spiritu sancto: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Igitur Spiritus sanctus accipit scientiam à Filio. At non accipit per doctrinam, neque per infusionem: uterque enim ille modus repugnat Deo. Ergo accipit per productionem. Item quidquid habet Pater, habet etiam Filius, præter relationem scilicet paternitatis, ut exponunt Patres & Concilia. Sed Pater est principium Spiritus sancti. Ergo & Filius.

3. Ad Gal. cap. 4. dicitur: *Misit Deus Spiritum Filii in corda vestra.* Et Matth. cap. 10. *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ergo sicut Spiritus S. est spiritus Patris, ita & est spiritus Filii. At non est spiritus Patris, nisi quia procedit à Patre. Ergo nec est spiritus Filii, nisi quia procedit à Filio. Sic argumentatur S. Augustinus tract. 99. in Joan. Cur, inquit, non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus S. cum Filii quoque ipse sit spiritus?

§. II.

Processio Spiritus sancti à Filio, probatur autoritate Patrum Græcorum.

Primus occurrit nobis Gregorius Thaumaturgus in sua fidei professione, in qua sic loquitur de Spiritu sancto: *Unus Spiritus sanctus, ex Deo existen-*

tiam habens, & qui per Filium apparuit, scilicet hominibus: imago Filii, perfecti perfecta, &c. 1. Itaque Gregorius dicit, Spiritum sanctum apparuisse per Filium, hoc est, Spiritum sanctum à Filio missum esse ad homines. Ergo secundum Gregorium, Spiritus sanctus procedit à Filio: in divinis enim, quod Gregorium non latuit, persona non mittitur, nisi ab ea, à qua producit. Hinc Pater nunquam dictus est mitti, quia ingenuus est. Filius vero dicitur mitti à Patre, nunquam dicitur mitti à Spiritu sancto, quia à solo Patre gignitur. Quare si Spiritus S. non solum à Patre, sed etiam à Filio dicitur mitti, ut re vera dicitur, certè non dicitur mitti ab utroque, nisi quia ab utroque procedit.

2. Juxta Gregorium, Spiritus S. est perfecta Filii imago, naturalis scilicet, non artificialis. Ad hoc autem non sufficit, quod Spiritus sanctus perfectam habeat cum Filio in essentialibus omnibus similitudinem; sed præterea requiritur, ut ab eo producat: imago enim naturalis habet essentialiter ad id, cujus est imago, ordinem producti ad producentem. Hinc in humanis frater non est imago fratris, quantumcumque supponatur habere cum eo similitudinem in natura. Hinc etiam in divinis, secunda persona non esset imago naturalis primæ, si ab ea non procederet. Sicut ergo Gregorius eodem loco dicit Filium esse naturalem Patris imaginem, quia procedit à Patre; ita & dicit Spiritum S. esse naturalem Filii imaginem, quia procedit à Filio.

Secundus est S. Athanasius, qui sic ait sermon. 4. contra Arianos: *Non tria principia, aut tres Patres introducimus, sicut Marcionista; cum non tres soles ad comparisonem adducamus, sed unicum solem, ejusque splendorem, unicamque ex ambobus lucem: ita unum principium agnoscimus, &c.* Ecce ut ostendat, Patrem, Filium, & Spiritum S. unum esse rerum omnium conditarum principium, non tria principia, comparat eos non tribus solibus, qui si existerent, quia nullum inter se ordinem haberent, tria principia facerent; sed soli, splendori, & luci; Patrem quidem soli, qui nec est à splendore, nec à luce; Filium splendori, qui est à sole; Sanctum denique Spiritum luci, quæ est à sole & splendore. Sensit igitur sanctus Athanasius Patrem à nullo, Filium à Patre, Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere.

Hanc ejus mentem esse, ampliùs declaratur ex eo, quod expressè dicit inferius, Spiritum sanctum à Verbo accipere scientiam: *Si admittas, inquit, Spiritum scire, multo magis Verbum, quatenus est Verbum, à quo etiam Spiritus accipit, id (nempe diem judicii) non incognitum habere admittas.* Itaque secundum Athanasium, Spiritus S. non solum à Patre, sed etiam à Filio accipit scientiam. Atqui, secundum eundem, non accipit per institutionem: hic enim modus accipiendi convenire non potest Deo, & Athanasius Spiritum sanct. credidit verum Deum. Ergo, secundum Athanasium, Spiritus sanctus scientiam accipit à Patre & Filio per productionem, adeoque procedit ab utroque.

Eandem tradit doctrinam S. Athanasius in epist. ad Serapionem de Spiritu S.: *Filius à Patre mittitur Filius Spiritum mittit Cum igitur istiusmodi ordinem & naturam habeat Spiritus ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem, qui fieri potest, ut qui Spiritum creaturam dicit, non illud idem necessario & de Filio sentiat? Si enim Filii Spiritus creatura est, consequens est, ut dicant, etiam verbum Patris creaturam esse. Itaque sic argumentatur S. Doctor. Spiritus mittitur & datur à Filio, sicut Filius mittitur & datur à Patre. Unde sicut Filius est ex Deo Patre, & est Verbum ejus; ita Spiritus est ex Deo Filio, & Spiritus ejus. Ergo vel Spiritus S. non est creatura, vel ipse quoque Filius creatura est; & si Filius non est creatura, sed Deus, quia est ex Deo Patre, sanctus quoque Spiritus creatura non est, sed Deus, quia est ex Deo Filio. Et verò sicut Filius immanenter producit à Deo Patre, & ita Pater*

Pater est in Filio, & Filius in Patre; sic Spiritus sanctus immanenter producit à Deo Filio, & ita Filius est in Spiritu, & Spiritus in Filio: unde sicut Filius cum Deo Patre, ita Spiritus cum Deo Filio unus & ejusdem substantiae est. Hanc esse mentem S. Doctoris patet ex contextu.

Tertius est S. Basilus, qui lib. 2. contra Eunomium, asserentem Spiritum sanctum solum Filii facturam esse, probat Spiritum sanctum non solum à Filio, sed etiam à Patre procedere: *Illud verò, inquit, cui non pater, quod nulla Filii operatio à Patre divisa est? nec est aliquid in rebus, quod Filio insit, & à Patre alienum sit? Omnia, inquit, mea tua sunt, & tua mea. Quomodo ergo Spiritus causam & originem unigenito soli attribuit (Eunomius,) & ad ejus accusandam naturam, hujus creationem accipit? Quod autem dicunt adversarii, Basilium loqui, non de substantia Spiritus sancti, sed de donis ejus, manifestè repugnat verbis ejus, & scopo: agebatur enim de refutando dogmate Eunomii, asserentis ipsum Spiritum sanctum esse à solo Filio.*

Lib. sequenti, paulò post initium, sic loquitur: *Cur necesse est, si dignitate ac ordine tertius est Spiritus, natura quoque ipsum tertium esse? Dignitate namque ipsum secundum esse à Filio, pietatis ratio tradit: natura verò tertius uti, nec à divinis Scripturis docti sumus, nec ex predictis possibile est consequenter colligi. Nam quemadmodum Filius ordine quidem à Patre secundus est, quoniam ab illo est; & dignitate, quoniam origo atque causa essendi Pater ipse est... natura verò nullo modo secundus, quoniam in utroque una est deitas: ita videlicet & Spiritus sanctus, etsi dignitate & ordine secundus à Filio est, non tamen verisimiliter aliene ipsum esse natura inde consequetur.*

His verbis S. Doctor probat, ex eo, quod Spiritus sanctus ordine & dignitate notionali tertius sit in Trinitate, non sequi, quod sit quoque tertius natura, hoc est, quod naturam habeat distinctam & diversam à natura Patris & Filii, sicut distinctam & diversam habet personalitatem à personalitate Patris, & personalitatem Filii. Igitur juxta S. Basilium, Spiritus S. est ordine & dignitate (supple semper, notionali) tertius in Trinitate, quia ordine & dignitate secundus est à Filio, qui ordine & dignitate secundus est à Patre. At sicut Filius, quamvis ordine & dignitate secundus à Patre, quia Pater eum producit, nihilominus est ejusdem deitatis cum Patre, quia Pater producit eum de sua substantia: ita Spiritus S. quamvis ordine & dignitate secundus à Filio, quia Filius eum producit, nihilominus est ejusdem deitatis cum Filio, quia Filius eum de sua substantia producit.

Hanc porò S. Basilii mentem esse, non nisi protervè negari potest. Quare, juxta Basilium, Filius est ordine & dignitate secundus à Patre? Quia origo atque causa essendi Pater ipse est. Ergo juxta eundem, Spiritus sanctus est ordine & dignitate secundus à Filio, quia origo atque causa essendi Filius ei est. Et verò ordo ille, vi cuius in Trinitate unus est primus, alter secundus, & notionalis illa dignitas, qua in Trinitate una persona alteri praeferre dicitur, in eo tantum consistere possunt, quod una persona sit principium alterius: non enim aliud excogitari potest. Certè si Spiritus S. à solo Patre, non etiam à Filio procederet, esset quidem ordine & dignitate secundus à Patre, sicut Filius: at etiam dato, quod tunc adhuc à Filio distingueretur realiter, non esset ordine & dignitate secundus à Filio: quare enim esset? Valdè igitur probabile est locum Basilii à Graecis truncatum esse. Et verò in Concilio Florentino à Latinis contra Graecos prolatus est codex antiquissimus, ante sexcentos annos scriptus, in quo legebatur: *Cur necesse est, si dignitate & ordine tertius est Spiritus, natura quoque tertium ipsum esse? Dignitate namque ipsum secundum à Filio, cum ab ipso esse habeat, & omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit, &c.*

Quartus est S. Gregorius Nazianz., qui in orat. de Spir. S. quae est quinta de Theologia, sic loquitur: *Quid ergo est, inquit, quod Spiritus deest, ad hoc*

ut sit Filius? Nisi enim aliquid deesset, Filius esset. Deesse nihil dicam: neque enim Deo quidquam deest. Verum manifestationis, ut ita dicam, mutuaeque eorum relationis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit. Neque enim Filio aliquid deest, ad hoc ut sit pater (nec enim defectionis rationem habet filiationem) nec propterea tamen pater est. Alioquin eadem ratione Patri aliquid deerit, ad hoc ut sit filius. Nec enim Pater filius est. Sed defectum proculdubio non arguunt, nec essentiae imminutionem: quin potius ex his verbis, quod genitus non sit, & quod genitus, & quod procedat, hoc effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur: atque ita inconfusa trium personarum distinctio, in una divinitatis natura & dignitate conservetur.

Ita ratiocinatur Gregorius Nazianz. & ita ratiocinando, manifestè supponit Spiritum sanctum procedere à Filio. Itaque Spiritus sanctus non est Filius, & tamen nihil essentiale deest ei ad hoc, ut sit Filius; cum totam habeat substantiam divinam, sicut totam habet Filius. Sic Filius non est Pater, quamvis nihil essentiale deest ei ad hoc, ut sit Pater; cum Pater generando Filium, totam ei essentiam divinam communice. Sicut igitur Filius non est Pater, non propter defectum perfectionis alicujus essentialis, quæ sit in Patre, & non sit in Filio, sed propter differentiam relationum, quibus ad se mutuo referuntur, & invicem opponuntur Pater & Filius: ita Spiritus sanctus non est Filius, non propter defectum perfectionis essentialis, quæ sit in Filio, & non sit in Spiritu sancto, sed propter differentiam relationum, quibus ad se mutuo referuntur, & invicem opponuntur Filius & Spiritus sanctus.

Pater refertur ad Filium, ut genitor ad genitum, & consequenter Filius refertur ad Patrem, ut genitus ad genitorem. Implicat autem idem suppositum ad se ipsum referri, ut genitorem ad genitum, & genitum ad genitorem: implicat enim idem esse sui ipsius principium. Ergo Patrem, hoc ipso præcisè, quod pater est, repugnat esse filium; & Filium, hoc ipso præcisè, quod filius est, repugnat esse patrem. Similiter Filius refertur ad Spiritum sanctum, ut spirator ad spiratum, & consequenter Spiritus sanctus refertur ad Filium, ut spiratus ad spiratorem. Implicat autem idem suppositum ad se ipsum referri, ut spiratorem ad spiratum, & spiratum ad spiratorem: alioquin idem posset esse principium sui ipsius. Ergo Filium, hoc ipso præcisè, quod spirator est, repugnat esse Spiritum S. & vicissim Spiritum S. hoc ipso præcisè, quod spiratus est, repugnat esse Filium. Itaque juxta Gregorium Nazianz. Spiritus S. non est Filius, quia ab eo spiratur; sicut Filius non est Pater, quia ab eo generatur. Vicissim Filius non est Spiritus S. quia illum spirat; sicut Pater non est Filius, quia illum generat. Unde ex eo, quod in Deo unus est generans, alter genitus, tertius ab utroque spiratus, inconfusa trium personarum distinctio in una divinitatis natura & dignitate conservatur.

Quintus est S. Epiphanius, qui non semel conceptis verbis docet Spiritum S. à Patre & Filio procedere, ut hæref. 74. num. 9. *Spiritus, inquit, adoptione sunt, aut vocatione complures, qui & in peccatum proni sunt ac proclives. At Spiritus sanctus solus à Patre & Filio, spiritus veritatis, & Dei spiritus, & spiritus Christi, & spiritus gratiae nominatur. Et in Ancorato num. 8. Spiritus Dei, inquit, & spiritus Patris, & spiritus Filii, non compositione aliqua, quemadmodum in nobis anima & corpus, sed inter Patrem Filiumque medius, ex Patre & Filio, appellatione tertius.*

Sextus est S. Chrysostomus, qui sic ait hom. 1. de Symb. *Iste est Spiritus procedens de Patre & Filio, qui dividit singulis propria dona prout vult. Et hom. 2. Istem Spiritum sanctum dicimus Patri & Filio coeternum, & procedentem de Patre & Filio.*

Septimus & ultimus nobis erit S. Cyrillus Alexand. in Thesauri lib. seu assertione 34. ubi probat quod Spiritus sanctus sit ex essentia Patris & Filii; & con-

cludit

cludit his verbis: Cum igitur Spiritus sanctus, nobis immixtus, conformes nos Deo efficiat, procedat vero is à Patre & Filio; manifestum est ex divina essentia ipsum esse, essentialiter in ipsa & ex ipsa procedentem. Et inferius sic argumentatur: Si renovante nos Christo, & in novam vitam transferente, Spiritus renovare dicitur... necesse est fateri Spiritum ex essentia Filii esse. Nam ut ex ipso naturaliter existens, & in creaturam ab ipso missus, renovationem operatur, plenitudo ac complementum sanctæ Trinitatis.

§. III.

Processio Spiritus Sancti à Filio, probatur autoritate Latinorum Patrum.

S. Hilarius lib. 2. de Trinit. nu. 29. sic loquitur: De Spiritu autem sancto nec tacere oportet, nec loqui necesse est: sed silei à nobis, eorum causa, qui nesciunt, non potest. Loqui autem de eo non necesse est, qui Patre & Filio autoribus consentiens est. Et S. Ambrosius lib. 1. de Spir. sanct. c. 10. Spiritus sanctus cum procedit à Patre & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio. Et S. Augustinus l. 4. de Trin. c. 20. Neque enim flatus ille corporeus (quo Christus insufflavimus in discipulos) substantia Spiritus sancti fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tantum à Patre, sed & à Filio procedere Spiritum S. ... Qui ergo à Patre procedit & Filio, ad eum refertur, à quo natus est Filius. Et S. Prosper l. 1. de vita contempl. c. 18. Cum instruire debeamus (Fideles) de Patre, quomodo salus accipiatur ingentius; de Filio, quomodo ex ipso sit genitus; & de Spiritu sancto, quomodo ex Patre ac Filio procedens, nec ingentius possit dici, nec genitus, &c. Et S. Leo epist. 93. ad Turribium c. 1. Demonstratur, quam impie sentiant de Trinitate divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus S. unam atque eandem asserunt esse personam: tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur: nec alius sit, qui genuit; alius, qui genitus est; alius qui de utroque processit. Et S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. 2. Nec natus est ipse (Spiritus sanctus) nec genuit, sed solus de Patre Filioque procedit.

§. IV.

Processio Spiritus sancti à Filio, probatur autoritate Conciliorum, quæ ante schisma Græcorum celebrata fuerunt.

Prima occurrit nobis Synodus Alexandrina, à Cyrillo in causa Nestorii celebrata, ex qua Cyrillus ad Nestorium scripsit epistolam, quam approbavit Concilium Ephesinum, & post Ephesinum, approbavere Chalcedonense, Constantinopolitanum secundum & tertium, & Ephesinum secundum. In ea autem sic loquitur Cyrillus: Spiritus appellatus est veritatis; & veritas Christus est. Unde & ab ipso similiter, sicut ex Patre, procedit.

Secunda est Toletana prima, anno 400. vel ut alii volunt, Calcedonensis anno 447. habita, quæ in assertionem fidei sic ait: Credimus... Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed à Patre Filioque procedens. Est ergo ingentius Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed à Patre Filioque procedens.

Tertia est Toletana tertia, quæ unanimi omnium consensu, professionem fidei à Reccaredo Rege oblatam suscepit, in qua dicebatur: Spiritus S. à nobis confitendus est & predicandus, à Patre & Filio procedere, & cum Patre & Filio unius esse substantia.

Quarta est Toletana quarta c. 1. ubi ait: Spiritum S. nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre & Filio profitemur. Sequuntur Toletana sexta n. 1. Credimus, inquit, & profitemur... Spiritum S. neque genitum, neque creatum, sed de Patre Filioque procedentem, utriusque esse spiritum. Toletana octava c. 1. Credimus & in Spiritum sanctum,

vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem. Toletana undecima, acta anno 675. Sic autem dicit in professione fidei: Spiritum sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum atque aequalem cum Deo Patre & Filio credimus esse Deum, unius substantia, unius quoque esse nature: non tamen genitum, vel creatum, sed ab utroque procedentem, amborum esse spiritum. Et Forojulienis anno 791. celebrata, quæ in Symbolo fidei hæc habet: Spiritus sanctus verus Deus, verè & proprie Spiritus sanctus est. Non genitus, nec creatus, sed ex Patre Filioque intemporaliter & inseparabiliter procedens.

§. V.

Processio Spiritus sancti à Filio, probatur autoritate Conciliorum generalium, quæ post exortum schisma Græcorum celebrata fuerunt.

1. Synodus Lateranensis quarta, acta anno 1215. cujus definitioni adfuisse & consensisse Græcos, colligitur ex cap. 4. sic pronunciat c. 1. Pater à nullo, Filius autem à solo Patre, ac Spiritus S. ab utroque pariter, abque initio semper & sine.

2. Synodus Lugdunensis secunda, ann. 1274. Græcis præsentibus celebrata, unanimi omnium consensu dixit: Fideles ac devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ab uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. In 6. de summa Trinit. c. unico.

3. Synodus Florentina, cui Græci cum suo Imperatore interfuerunt, in litteris sanctæ unionis per Eugenium Pontificem, 1. Testatur: Latinos & Græcos magno studio invicem usos esse, ut inter alia, etiam articulus ille de divina Spiritus sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discenteretur. 2. Definit, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, siquæ omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam summe esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio & una spiratione procedit. 3. Additionem, Filioque, à Latinis rationabiliter & legitime factam esse in Symbolo, pronunciat his verbis: Definimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarande gratia, & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. His porro Synodis adjungenda est Tridentina, quæ sess. 3. legit & approbavit Symbolum Constantinopolitanum, cum additione, Filioque.

§. VI.

Processio Spiritus sancti à Filio, probatur ratione.

Tam convenit Filio spiratorem esse, quam Patri, quamvis non eodem modo conveniat. Sed Spiritus sanctus procedit à spiratore. Ergo Spiritus sanctus tam à Filio quam à Patre procedit. Major, quoad secundam partem, non habet difficultatem: nam si Filius spirator est, sicut & Pater, ut spirator sit, habet à Patre, à quo accepit, quicquid habet; cum è contra Pater, ut spirator sit, à nullo alio habeat, quia à nullo alio productus est, atque ita à nullo alio accepit, quod habet. Esse igitur spiratorem Patri convenit, ut principio sine principio; Filio vero ut principio de principio, si re ipsa spirator est, ut esse, probandum superest.

Prob. itaque 1. pars maj. Si Filius non est spirator, vel quia caret aliqua perfectione essentiali, quam Pater habeat, & quæ necessaria sit ad esse spiratoris; vel ob differentiam relationum, quibus Spirator & Filius ad se mutuo referuntur, & invicem opponuntur; sive brevius, & quod idem est, ob relativam oppositionem, quam habent inter se spirator & filius. Non enim tertium assignari, vel excogitari potest, propter quod Filio repugnet spiratorem esse. Atqui neutrum potest dici.

Non

Non primum. Nam Filius habet totam substantiam divinam, & nullas habet Pater perfectiones essentialis, quas non habeat Filius; alioquin Filius, etiam ut Deus, minor esset Patre, eique impar: quod est contra fidem. Præterea, ad esse spiratoris necessaria non est aliqua perfectio essentialis, quæ sit illius constitutiva: nam spirator constituitur per virtutem spirandi, quæ non est perfectio essentialis, sed notionalis, & qua caret Spiritus S. tamen nulla perfectione essentiali careat, cum sit perfectus Deus, ut fides docet.

Non secundum. Nam in Deo illi tantum habent inter se oppositionem relativam, quorum unus est principium produciens, & alter terminus productus: quod est extra controversiam. Atqui ex spiratore & Filio neuter se habet ad alterum, ut principium produciens, vel ut terminus productus: nam neque Filius est à spiratore, neque spirator à Filio: Filius enim non spiratur, sed generatur; & si Filius produceret spiratorem, Pater, qui spirator est, acciperet à Filio: quod absurdum est. Et verò quidquid est Pater, origine prius est, quam sit Filius, adeoque origine prius, quam sit Filius, spirator est. Ergo spirator & Filius nullam habent inter se relativam oppositionem. Ergo Filius tam spirator est, quam Pater. Ergo tam à Filio, quam à Patre, procedit Spiritus sanctus.

Confirm. Omnia, quæ Pater habet, habet etiam Filius, excepta sola paternitate, quæ relativè opponitur filiationi, tanquam principium produciens termino producto, adeoque cum illa esse non potest in eodem supposito; alioquin idem suppositum posset esse respectu sui ipsius Pater & Filius: quod repugnat. Ergo Filius habet virtutem spirandi, quam habet Pater. Ergo Filius cum Patre una & eadem spiratione spirat Spiritum sanctum. Patet utraque consequentia.

Prob. itaque ant. 1. Autoritate Patrum Græcorum, nempe Basilii in tractatu de fide, quem citat Manuel Calecas: *Omnia, inquit, Filius est, quæcumque est Pater. Patrem dixi, & Filium. Conserva mihi proprietates istas. Manens itaque Filius in eo quod est Filius, omnia est quæcumque Pater, secundum ipsius Domini vocem, dicentis: Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Nam re vera imaginis omnia sunt, quæcumque insunt in prototypa forma.* Gregorii Nazianz. orat. in S. Pentecosten. *Omnia, inquit, quæcumque Pater habet, sunt Filii, præter quam quod ingenuus non est, adeoque nec est Pater.* Et Cyrilli Alexandrini pluribus in locis. Unus sit pro omnibus. Thet. lib. 32. sic loquitur: *Quidquid de Patre dicitur, id ipsum omnino etiam de Filio dicitur: eo solo excepto, quod sit pater. Et quidquid de Filio prædicatur, id de Patre quoque, excepto eo, quod sit filius.*

Prob. ant. 2. Autoritate Concilii Florentini, in litteris sanctæ unionis, ubi sic dicitur: *Quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est.* Illud itaque, *Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater Filio suo dedit, præter esse patrem, se habet ad modum axiomatis, à Græcis & Latinis pari consensu recepti: unde Synodus duo concludit, videlicet & Filium producere Spiritum sanctum, & quod producat, accepisse æternaliter à Patre, à quo per generationem æternaliter accepit esse.*

Porrò, quod non est omittendum, ipsemet Christus, ut probet Spiritum S. à se produci, hoc utitur argumento, cum ait Joan. c. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

§. VII.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Patres Latini negant Filium esse causam Spiritus sancti. Ergo secundum Patres Latinos, Spiritus sanctus non procedit ex Filio. *Resp. neg. conseq.*

Nam si Patres Latini negant Filium esse causam Spiritus sancti, non negant esse principium; & tanto inter se consensu asserunt Spiritum sanctum ex Filio procedere, ut hoc negari, vel etiam in dubium revocari non possit verecundè. Negant autem, vel saltem non dicunt Filium esse causam Spiritus sancti, quia apud Latinos causæ respondet effectus, & causalitas idem est, ac effectio. At Spiritus sanctus non est effectus, nec productio ejus est effectio: nam Spiritus sanctus non est creatura, sed verus Deus, & de substantia divina producitur, non verò ex non entibus, aut ex subiecto aliquo, ex non entibus facto. Porro Græci è contra dicunt Filium esse causam τὸ ἄρτιον Spiritus sancti, quia apud illos ἄρτιον latius patet, quam causa apud Latinos, & sumitur pro principio, ex quo aliquid est.

Obj. 2. Patres Græci non dicunt Spiritum sanctum esse ex Filio, sed per Filium. *Resp. 1.* Aliquando dicunt esse ex Filio, ut patet ex Epiphanio, Chrysostomo, & Cyrillo Alexandrino, locis suprà relatis §. 2. 2. Cum dicunt Spiritum sanctum esse per Filium, idem per το per intelligunt, quod Latini per το ex. Ita interpretati sunt Græci cum Latinis in Synodo Florentina, ut patet ex litteris sanctæ unionis, ubi dicitur: *Declarantes, quod id, quod sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum S. ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secundum Græcos quidem, causam; secundum Latinos verò, principium subsistentia Spiritus S. sicut & Patrem.*

Præterea, præpositio per, tam apta est ad significandam actionem principii vel causæ, quam præpositio ex; & in sacris litteris in hac significatione non semel accipitur. Sic dicitur Joan. cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et Coloss. c. 1. *Omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Perperam igitur Patres Græci dicerentur, cum ajunt Spiritum sanctum ex Patre per Filium esse, à productione Spiritus sancti amovere Filium. Itaque, cum sic loquuntur, dicendi sunt, vel simpliciter hac præpositione, per, uti ut voce synonyma cum præpositione, ex; vel imitari velle Scripturam, quæ non dicit à Patre & Filio, sed à Patre per Filium mundum esse conditum; vel simul innuere velle, unam esse & eandem in Patre & Filio virtutem & actionem spirandi Spiritum S. vel denique velle significare Patrem esse principium ipsius Filii, quocum principium est Spiritus S. & Filium esse Spiritus sancti principium per spirandi vim, quam accepit à Patre, qui eam non accepit aliunde; Filiumque à Patre generari, & omnia, quæ habet, accipere prius origine, quam cum eo det esse Spiritui sancto. Porro in hoc ultimo sensu loqui videtur S. Damascenus, cum lib. 1. de fide orthodox. c. 11. ait: *Ex Filio Spiritum non dicimus, sed cum Filii Spiritum nominamus.* Et c. 13. *Filii Spiritus est, non tanquam ex ipso, sed quod per ipsum ex Patre procedat.*

Obj. 2. Concilia. 1. Constantinopolitanum primum, agens de processione Spiritus S. in Symbolo dicit, eum à Patre procedere, nulla mentione facta Filii. 2. In Ephesino lectum fuit Symbolum Nestorianorum, cum libro Theodoretici contra anathematismos S. Cyrilli, in quorum utroque expressè dicebatur, Spiritum sanctum non procedere ex Filio, & tamen hoc non reprobarunt Patres Concilii. *R. ad 1.* quæstionem tunc fuisse, an Spiritus sanctus procederet ex solo Filio. Affirmabat Macedonius, contra quem Concilium definit, Spiritum sanctum ex Patre procedere, non negando, sed cum hæreticis opponendo procedere etiam ex Filio. *At inquit.* Concilium debuit & voluit assignare principium adæquatum Spiritus sancti. *R.* Tantum debuisse, & voluisse damnare errorem Macedonii.

Ad 2. partem obj. R. 1. in Concilio lectam etiam fuisse epistolam S. Cyrilli, cum anathematismis ejus ad Nestorium, in quibus expressè dicebatur Spiritum sanctum esse à Filio; & tamen Patres non contradixisse, imò unanimi consensu dictam epistolam approbasse; quod etiam fecerunt Patres Concilii Chalcedonensis,

mensis, Constantinopolitani II. & III. & Nicæni II. ut jam observatum est. *Resp.* 2. Synodum Ephesinam noluisse expressè agere de processione Spiritus S., quia propter aliud negotium congregata fuerat.

Obj. 3. Circa annum 829. Leo III. iussit describi Symbolum Constantinopolitanum in tabula argentea, sine additione huius vocis, *Filioque*, & poni in altari post corpus S. Pauli. Ergo prædictam additionem improbavit. Ergo, &c. *Resp.* neg. conseq. Nam Leo hoc fecit, non ut significaret à se reprobari additionem, *Filioque*; sed ne putarent Græci Symbolum Constantinopolitanum contemni à Latinis, & ut huius Symboli memoria honorificè in Ecclesia conservaretur.

At inquit. Concilium Aquigranense, à quo facta, vel saltem confirmata est additio, *Filioque*, misit Legatos ad Leonem, qui eum orarent, ut Symbolum cum additione, *Filioque*, iuberet cantari in Ecclesia Romana; Pontifex verò noluit eorum precibus annuere. *Resp.* Pontificem noluisse, ne Græcis videretur spernere Symbolum Constantinopolitanum, & quia nondum in Ecclesia Romana cantatum fuerat cum prædicta additione. At simul & palam professus est Spiritum S. procedere etiam à Filio, ut testantur Acta legationis, quæ extant.

Obj. 4. Pater est sufficiens principium Spiritus S. Ergo Spiritus sanctus procedit à solo Patre. *Resp.* neg. conseq. quæ non magis valet, quàm ista: Pater est sufficiens principium creationis. Ergo creatio est à solo Patre. Sicut ergo tres personæ sunt principium creationis, non solus Pater; quia potentia creandi est communis tribus personis: ita Pater & Filius sunt principium Spiritus sancti, non solus Pater; quia vis producendi Spiritum sanctum communis est Patri & Filio.

Obj. 5. Si Spiritus sanctus procederet à Patre & Filio, non unum, sed duo principia haberet, & non una, sed duabus inspirationibus procederet. *Resp.* neg. seq. Nam sicut tres personæ sunt unum, non tria principia mundi, & una, non tribus actionibus produciunt mundum, quia unam & eandem habent potentiam agendi ad extra; ita Pater & Filius sunt unum, non duo principia Spiritus S., & una, non duabus inspirationibus Spiritum S. spirant; cum unam & eandem spirandi vim habeant.

Quæres. utrum Spiritus sancti processio sit effectio, vel creatio, vel generatio? *Resp.* Processio Spiritus sancti non est effectio, nec creatio, nec generatio. Est de fide.

1. & 2. pars probatur, 1. Ex Toletano II. in professione fidei, ubi dicitur: *Spiritum quoque sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum atque æqualem cum Deo Patre & Filio credimus esse Deum, unius substantia, unius quoque esse nature; non tamen genitum, vel creatum, sed ab utrisque procedentem, amborum esse, spiritum.* 2. Ex Symbolo Athanasiano: *Spiritus S. à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* 3. Ratione: quia Spiritus S. non est artefactum, aut creatura, sed verus Deus.

Prob. 3. pars, 1. ex Scriptura: nam Joan. cap. I. dicitur de Verbo: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Et cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* 2. Ex Conciliis generalibus Nicæno & Constantinopolitano, à quibus definitum est in Symbolo, secundam personam esse Filium Dei unigenitum. His adde Toletanum II. & Symbolum Athanas. Ex quibus omnibus sic argumentor. Sola persona secunda est genita. Ergo processio solius personæ secundæ est generatio. Ergo processio tertiæ personæ non est generatio. Superest igitur ut processio Spiritus sancti sit actio spirativa, quæ, secluta omni imperfectione, quæ in productione creaturarum reperitur, Spiritus sanctus produciatur à Patre & Filio, & ab eis accipit naturam divinam eandem numero, quam habent; sed accipit sine fecunditate.

Utrum in Divinis Filius procedat per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem.

R. *Esp.* I. Filius in divinis procedit per intellectum.

Prob. Filius in divinis est Verbum Patris. Sed verbum non procedit, nisi dictione, & dictio in Deo est per intellectum. Ergo, &c. Minor quoad utramque partem est extra controversiam. *Prob. itaque maj.* 1. ex Scriptura: nam Joan. c. I. dicitur: *In principio erat Verbum... Verbum caro factum est.* Et ejusdem epist. I. c. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S.* 2. Ex Patribus, qui non tantum dicunt Filium in divinis esse Verbum Patris, sed etiam esse Verbum Patris, quia procedit per intellectum. Pro omnibus sint Basiliius hom. 16. ubi in illud Joan. *In principio erat Verbum*, sic habet: *Cur Verbum? Ut quod ex mente procedit, ostendatur.* Et Cyrillus lib. I. in Joan. cap. 5. ubi sic ait: *Filius appellatur verbum, ac sapientia; quoniam ex intellectu immediate atque indivisibiliter est.*

Resp. II. Spiritus S. procedit per voluntatem.

Prob. Spiritus sanctus appellatur specialiter ab Ecclesia, Patribus, ac Scholasticis, cum Magistro & S. Thoma, amor, dilectio, charitas. At charitas pertinet ad voluntatem. Ergo Spiritus sanctus procedit per voluntatem. Præterea, nemini dubium est, Spiritum S. procedere per voluntatem, posito quod Filius procedat per intellectum. Sed Filium procedere per intellectum probatum est. Ergo, &c.

Obj. 1. Si Filius procedit per actum intellectus, & Spiritus S. per actum voluntatis, isti actus vel sunt productiones personarum, vel principia productionum. Neutrum dici potest. *Resp.* Non esse productiones personarum, quia productiones personarum sunt actus rationales, non essentielles: intelligere verò, & velle, sunt actus essentielles: sed esse principia productionum per fecunditatem generandi & spirandi in illis proximè fundatam, illique per se primò identificatam.

Obj. 2. Generatio Filii, & spiratio Spiritus sancti sunt ex fecunditate naturæ divinæ. Sed natura divina habet fecunditatem hanc, non ex sua intelligentia & volitione, sed ex sua infinitudine. Ergo, &c. *Resp.* Naturam divinam habere fecunditatem generandi & spirandi remotè à sua infinitudine, & proximè à sua intelligentia & volitione; quatenus natura divina ob infinitam suam excellentiam exigit esse fecunda modo excellentissimo, ac proinde ratione actuum suorum præstantissimorum, qui sunt intellectio & volitio: unde fit ut actus intelligendi & volendi in Deo ob infinitam excellentiam naturæ divinæ, fundent proximè proprietatem relativam Patris & Spiratoris, quæ sunt fecunditas generandi & spirandi; sicque natura divina sit fecunda remotè per infinitam suam excellentiam, & proximè per suum intelligere & velle.

Obj. 3. Si Filius produciatur per actum intellectus, & Spiritus sanctus per actum voluntatis, vis producendi Filium & Spiritum S. communis est tribus personis: nam intellectio & volitio sunt communes tribus personis. *R.* Filium non produci per intelligentiam absolute consideratam, sed ut determinatam & fecundam per proprietatem generantis, quam proximè fundat. Similiter Spiritus S. non produciatur per volitionem absolute sumptam, sed ut determinatam & fecundam per proprietatem Spiratoris, in ipsa proximè fundatam, ipsique per se primò identificatam. Unde neg. seq. maj.

Obj. 4. Si Filius produciatur per intellectum, & Spiritus S. per voluntatem, vel producuntur ut actus formales, quibus Deus fit intelligens & amans, vel non. Neutrum dici potest. *Resp.* neg. min. & dico, Filium & Spiritum S. non produci, ut actus formales, quibus Deus fit formaliter intelligens & amans; Deus enim est formaliter intelligens & amans per

per essentiam suam, non quidem præcisè sumptam, sed ut se habentem sic se ipsa formaliter, sub qua consideratione est actus formalis intelligendi & amandi, & tribus personis communis est. Itaque Filius & Spiritus S. non producuntur ut actus formales intelligendi & amandi, sed ut actuum illorum termini. Ut hæc melius intelligas,

Nota. In Deo duplex est verbum, unum scilicet essentiale seu formale, commune tribus personis, & est actus quo Deus fit formaliter intelligens, nempe ipsa essentia divina, ut per se ipsam formaliter percipiens: alterum notionale, & est Filius, qui producit per actum intelligendi. Unde Filio natura divina communicatur per se primò, ut est intellectio. Similiter in Deo duplex est amor, unus scilicet essentialis seu formalis, tribus personis communis, & est actus, quo Deus fit formaliter amans, nempe ipsa essentia divina, ut per se ipsam formaliter tendens in objectum: alter verò notionalis, & est Spiritus S. qui producit per actum amandi. Unde Spiritus S. vi processionis suæ accipit naturam divinam per se primò, ut est amor. Ex quibus patet, 1. Patrem non producere verbum ut intelligat, sed quia intelligit, & ut ei loquatur, eique suam intellectionem communicet. 2. Patrem dicendo, seu producendo verbum, non loqui sibi, cum per illud non reddat se ipsum formaliter intelligentem; sed loqui alteri, nempe ipsimet verbo, communicando ei suam intellectionem. 3. Patrem & Filium producere Spiritum S. non ut ament, sed quia amant, & ut ei amorem suum communicent. 4. Productionem verbi esse posteriorem intellectione, cum ab ea procedat; & productionem Spiritus S. esse posteriorem amore, quia ab eo procedit. Hæc autem posterioritas non est formalis, sed virtualis tantum, quia Filius & Spiritus sanctus non formaliter, sed virtualiter tantum distinguuntur ab intellectione, & amore essentiali.

Obj. 5. Patres dicunt Filium esse per naturam. Ergo non est per viam intellectus. *R.* Patres nihil aliud vellet, quam Filium esse necessariò. Unde neg. conseq.

ARTICULUS IV.

Quomodo Filius procedat per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem.

*N*ota 1. Principium dividitur in principium quod, & principium quo. Principium quod, est suppositum cui actio tribuitur: unde vocatur etiam principium denominationis. Principium quo, est forma, aut quasi forma, à qua est actio, & vi cuius supposito convenit denominationi agentis. Vocatur aliter principium formale, & subdividitur in remotum & proximum. Proximum, est illud à quo est actio, nullo alio principio mediante. Remotum verò, est illud à quo actio est mediata, in quantum principium à quo immediatè est actio, oritur ex eo vel formaliter vel virtualiter, aut ei ad agendum deservit, ut ejus potentia seu virtus.

Nota 2. Certum est solum Patrem esse principium quod processionis Filii, & solum Patrem cum Filio, per modum unius spiratoris, esse principium quod processionis Spiritus S. Certum etiam est ex dictis, actus intelligendi & volendi esse principia formalia processionis Filii & Spiritus S. Sed non levis controversia est, utrum sint principia formalia proxima, an remota tantum. Pro resolutione hujus controversiæ, erunt sequentes Responsiones.

Resp. 1. Intellectio divina non est principium formale proximum processionis Filii, sed remotum tantum.

Prob. 1. pars. Quia principium formale proximum processionis Filii distinguitur realiter à Filio. Sed intellectio divina non distinguitur realiter à Filio. Ergo non est principium formale proximum Filii. Minor patet. *Prob. maj.* Quia omne principium per se immediatè influens in aliquem terminum, distinguitur

ab eo realiter; alioquin idem posset esse, & esset à se ipso. Sed principium formale proximum processionis Filii per se immediatè influat in Filium, ut patet ex definitione principii formalis proximi. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Quia intellectio divina est principium formale processionis Filii, & non est proximum: Ergo est principium remotum. Præterea, illud est principium remotum processionis Filii, ex quo principium proximum ejusdem processionis oritur virtualiter. Sed principium formale proximum processionis Filii oritur virtualiter ex intellectione divina; cum in ea proximè fundetur fecunditas generandi. Ergo, &c.

Resp. 11. Volitio divina non est principium formale proximum processionis Spiritus sancti, sed remotum tantum.

Prob. 1. pars. Quia principium formale proximum processionis Spiritus S. distinguitur ab eo realiter; cum in illum per se immediatè influat. Sed volitio divina non distinguitur realiter à Spiritu sancto. Ergo, &c. Ex his sequitur *secunda pars.* Nam cum volitio divina sit principium formale processionis Spiritus sancti, & non sit principium proximum, superest ut sit remotum. Quod adhuc probatur ex eo quod principium formale proximum processionis Spiritus sancti oriatur virtualiter ex volitione divina: nam fecunditas spirandi Deo proximè convenit ratione volitionis.

Obj. 1. Ad productionem sufficit, ut principium quod distinguatur realiter à producto. *R.* neg. Nam principium quod productionis est suppositum, cui convenit denominatio producentis, præter quod suppositum requiritur forma, aut quasi forma, ratione cuius conveniat illi talis denominatio, & quæ per se immediatè realiter influat in terminum productum, proindeque realiter distinguatur à termino producto. Hæc autem forma, vel quasi forma, est principium formale proximum productionis. Unde ad productionem, præter principium quod, requiritur principium quo proximum, à termino producto tam realiter distinctum, quam principium quod.

Obj. 2. Ad productionem sufficit, ut productio activa sit in principio quod, & distinguatur realiter à termino producto. *Resp.* productionem illam activam; quæ est in principio quod, & distinguitur realiter à termino producto, esse ipsissimum principium formale proximum productionis, per se immediatè dans esse termino producto.

ARTICULUS V.

Quodnam sit principium formale proximum processionis Filii & Spiritus sancti.

*R*esp. 1. Sola proprietas relativa Patris est principium formale proximum processionis Filii.

Prob. 1. Ex Patribus: nam 1. S. Ambrosius lib. 4. de fide c. 4. sic ait: *Generatio paterna proprietatis est, non potentia.* 2. S. Damascenus ita loquitur lib. de duabus voluntatibus Christi: *Omnia quæ habet Pater, sunt Filii, sola gignendi vi excepta.* At omnia, quæ habet Pater, sunt Filii, excepta sola paternitate. Ergo sola paternitas est vis gignendi in Patre. Ergo, &c. Patres secutus est S. Thomas in 1. Sent. dist. 7. quæst. 1. art. 2. in O. ubi hæc dicit: *Essentia secundum quod est ipsa paternitas, est principium hujus actus, qui est generare.* Sed mutavit sententiam 1. part. qu. 41. art. 5.

Prob. 2. Ratione: nam principium formale proximum processionis Filii distinguitur realiter à Filio. Sed ex iis, à quibus Filius dici potest produci, sola proprietas relativa Patris distinguitur realiter à Filio. Ergo, &c. Præterea, principium formale proximum processionis Filii, vel est intellectio, vel paternitas. Non primum, ut probatum est art. 5. & adhuc probatur ex Lateranensi IV. c. 2. ubi de natura divina dicitur: *Illæ res non est generans, nec genita.* Nominè au-

ne autem naturæ Concilium intelligit omnia attributa absoluta. Ergo ex Lateranensi, nullum attributum absolutum generat, & consequenter nullum est principium formale proximum generationis: nam tale principium non solum est id quo suppositum generat, sed etiam id quod generat. Superest ergo, ut principium formale proximum processionis Filii dicatur esse proprietas relativa Patris.

Resp. II. Sola proprietas relativa spiratoris est principium formale proximum processionis Spiritus S.

Prob. Nam principium formale proximum processionis Spiritus S. vel est volitio divina, vel proprietas relativa spiratoris. Non primum, ut probatum est a. 5. Ergo secundum. Præterea, si sola proprietas relativa Patris est principium formale proximum processionis Filii, sola proprietas relativa spiratoris est principium formale proximum processionis Spiritus S. Verum prius, ut patet ex propositione 1. Ergo, &c.

Obj. 1. Authoritatem Patrum, 1. S. Dionysius c. 2. de divinis nominibus, vocat Filium & Spiritum S., *secunde divinitatis germina.* 2. S. Basilius lib. 2. contra Eunomium, appellat Filium splendorem maiestatis Dei. Sed splendor est à luce, ut lux est, Ergo Filius est à Patre, ut lux est. Atqui Pater lux est secundum divinitatem. Ergo, &c. 3. S. Cyrillus lib. 1. Thesauri cap. 7. vocat essentiam divinam generativam. 4. S. Damascenus lib. 1. de fide c. 8. de generatione Filii sic ait: *Generatio ignara principii & sempiterna est, ut quæ naturæ opus sit, atque ex ipsius essentia procedat.*

Ad 1. R. Divinitatem esse per se fecundam remotè & radicaliter, in quantum quæ intelligens & volens radix est fecunditatis generandi & spirandi. *Ad 2.* R. in divinis splendorem non esse à luce, nisi remotè & radicaliter: nam Pater est lux secundum divinitatem ut intelligentem; & Pater secundum divinitatem ut intelligentem, non generat splendorem suum, nempe Filium, nisi remotè & radicaliter, ut satis probatum est. *Ad 3.* R. essentiam divinam à S. Cyrillo vocari generativam remotè, non proximè; & verò non esse proximè generativam, definitur à Lateranensi IV. cap. 2. verbis jam laudatis. *Ad 4.* *Resp.* S. Damascenum solum dicere generationem Verbi nunquam incepisse, sed eternam esse, quia absolute necessaria est; & absolute necessaria est, quia essentia divina infrustrabiliter exigit esse in duobus suppositis, quorum unum sit Pater, & alterum Filius; & insuper quæ intelligens profundit virtualiter paternitatem, quæ est principium proximum & necessarium generationis.

Obj. 2. Concilia docent Filium procedere ex substantia Patris, de substantia Patris. R. Sensum Conciliorum esse, quod Filius nascendo accipiat à Patre ipsammet Patris substantiam & essentiam, ex qua, & filiatione, tanquam ex duobus virtualiter distinctis, constituitur. *At inquit.* Concilia docent Filium procedere de substantia Patris, ut principio formali proximo. *Neg. Probabis.* In Florentino Sessio. 18. dicitur: *Divina quidem substantia non generat, sed est principium, quo generatio fit.* *Resp.* Hæc verba non esse Concilii, sed privati cuiusdam, ex propria sententia loquentis.

Obj. 3. In productione univoca terminus productus debet esse similis producenti in principio formali producendi. Atqui generatio Filii in divinis est univoca, & Filius non assimilatur Patri in proprietate relativa, sed in intellectu & natura. Ergo, &c. *Resp.* Ad productionem univocam satis esse, si terminus productus producenti assimiletur in principio formali remoto productionis. Et verò ut productio sit univoca, sufficit quod terminus totalis productus, sit ejusdem naturæ cum termino totali producente; sive natura sit principium formale proximum productionis, sive remotum tantum. Cum itaque Filius in divinis sit ejusdem planè naturæ cum Patre, productio ejus est univoca; quamvis natura divina non sit principium formale proximum, sed tantum remotum productionis Filii, & sic Filius non assimilatur Patri, nisi in principio remoto suæ productionis.

Obj. 4. Relatio non est activa. Sed paternitas est relatio. Ergo, &c. Item personalitas in creatis non est activa. Ergo nec in Deo. Sed paternitas est personalitas Patris. Ergo non est activa. Ergo, &c. *Resp. ad 1.* Relationem transcendentalem esse activam: imò omnis vis activa est relatio transcendentalis. Paternitas autem est relatio transcendentalis. *Resp. ad 2.* neg. conseq. Nam personalitas aliqua divina, purè paternitas, habet duplicem perfectionem, unam scilicet quæ convenit cum personalitate creata; & alteram, quæ respondet virtuti seu potentie creatæ, quia non solum est terminus naturæ, sed etiam ejus formalis fecunditas.

Obj. 5. Si paternitas est principium formale proximum processionis Filii, est in Patre aliqua potentia quæ non est in Filio. R. Conced. Nam re ipsa Pater habet potentiam proximam generandi, quam non habet Filius: alioqui Filius generaret, quod est contra fidem. *At inquit.* Ergo Filius non est æqualis Patri. *Resp. neg.* Quia in Deo tam perfectum est esse terminum generationis, quam ejus principium: nam 1. eadem est utriusque essentia. 2. Generatio passiva tantæ excellentiæ est, quantæ generatio activa: par enim utriusque est existendi necessitas, & tam generatio passiva necessaria est generationi activæ, quam generatio activa generationi passivæ; tamque generatio passiva ex se habet, ut accipiat esse à generatione activa, quam generatio activa habet ex se, ut det esse generationi passivæ. Unde necesse est personam ex essentia divina & generatione passiva constantem, æqualem omnino esse personæ ex eadem essentia divina & generatione activa constanti.

Obj. 6. Dictio seu locutio est proximè ab intellectu. Sed generatio Verbi est dictio seu locutio. Ergo generatio Verbi est proximè ab intellectu, non à proprietate relativa. R. dist. maj. Dictio, quæ quis sibi loquitur, est proximè ab intellectu, C. maj. Dictio, quæ quis alteri loquitur, N. maj. Talis enim dictio præsupponit quidem intellectum & intellectionem; at non est immediatè ab ea, sed ab ore, aut simili potentia locutiva, quæ in substantia spiritali correspondet ori. Generatio autem Verbi non est dictio, quæ Pater sibi loquitur, quia Pater non intelligit formaliter per Verbum: sed est dictio, quæ loquitur alteri, nempe ipsi Verbo, cui intellectionem suam communicat, illud generando. Unde generatio Verbi non est proximè ab intellectu, aut intellectione divina; sed ab ore Patris, quod est ipsa paternitas.

ARTICULUS VI.

Quodnam sit principium formale, quo essentia divina communicatur Filio & Spiritui sancto.

R. Espond. 1. Pater generando Filium, communit illi essentiam divinam. Est de fide.

Prob. Nam Filius nascendo accipit essentiam divinam à Patre, ut patet, 1. ex Concilio Nicæno in Symbolo, ubi dicitur Filium esse genitum ex substantia Patris. 2. Ex Lateranensi IV. cap. 2. ubi dicitur Filium nascendo substantiam Patris accepisse, & ita Patrem & Filium eandem substantiam habere. 3. Ex Florentino sess. ult. in litteris unionis dicente, *omnia quæ Patri sunt, ipsum Patrem unigenito Filio suo gignendo dedisse, præter esse patrem.* Ergo Filius nascendo accipit à Patre essentiam divinam, vel per productionem, vel saltem per communicationem hujus essentia. Non primum: nam essentia divina non producit. Ergo secundum.

Resp. II. Principium formale proximum, quo communicatur essentia divina Filio, est paternitas; remotum verò, est intellectio.

Prob. 1. pars. Quia idem est principium formale, quo proximè & immediatè producit proprietatem relativam Filii, & proximè ac immediatè communicatur essentia divina Filio. Sed paternitas est principium, quo

proxi-

proximè & immediatè producit proprietatem relativam Filii, ut probatum est art. 6. Ergo, &c. *Prob. maj.* Quia principium formale proximè & immediatè producit proprietatem relativam Filii, proximè & immediatè producit terminum essentialiter eundem realiter cum essentia divina: sed principium formale proximè & immediatè producit terminum essentialiter eundem realiter cum essentia divina, hoc ipso proximè & immediatè communicat essentiam divinam: principium enim producit terminum essentialiter eundem realiter cum essentia divina, hoc ipso præcisè rectè dicitur communicare, & necessariò communicat essentiam divinam. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Quia illud rectè dicitur principium formale remotum, in quo proximè fundatur, & ex quo virtualiter oritur principium formale proximum. Atqui principium formale proximum, quo communicatur Filio essentia divina, proximè fundatur, & virtualiter oritur ex intellectiōe divina: nam intellectiō divina proximè exigit, & virtualiter profundit paternitatem, ut probatum est. Ergo, &c.

Resp. III. Pater & Filius producendo Spiritum S. communicant illi essentiam divinam. Est de fide.

Prob. Quia Spiritus sanctus habet essentiam divinam, & non habet à se: quod enim producit, non habet essentiam à se, sed ab eo à quo producit. Ergo Spiritus S. habet essentiam divinam à Patre & Filio, à quibus producit. Ergo Spiritus sanctus habet essentiam divinam à Patre & Filio, vel per productionem, vel saltem per communicationem huius essentiae. Non primum: quia essentia divina non producit. Ergo secundum.

Resp. IV. Principium formale proximum, quo communicatur essentia divina Spiritui S. est proprietatem relativam spiratoris; remotum verò, est volitio divina.

Prob. 1. pars. Quia proprietatem relativam spiratoris est principium formale, quo proximè & immediatè producit terminum essentialiter idem realiter cum essentia divina. Ergo est etiam principium formale, quo proximè & immediatè communicatur essentia divina.

Prob. 2. pars. Quia illud est principium formale remotum communicandi essentiam Spiritui S. in quo proximè fundatur, & ex quo virtualiter oritur principium formale, quo proximè & immediatè communicatur essentia divina Spiritui sancto. Sed hoc principium proximè fundatur, & virtualiter oritur ex volitione divina: nam volitio divina proximè fundatur, & virtualiter profundit proprietatem relativam spiratoris. Ergo, &c.

Dices. Essentia divina se ipsam immediatè communicat Filio & Spiritui S. R. essentiam divinam se ipsam immediatè communicat Filio & Spiritui S. formaliter, seu per modum causae formalis, sicut filiaris Filio, spiratio passiva Spiritui S. & quilibet pars toti suo se communicat. At præter hanc communicationem formalem, quae est communis tribus personis, est alia activa respectu personarum productarum, quae est proximè & immediatè à proprietatibus relativis, paternitate scilicet & spiratione activa.

Ex dictis hæc sectione colligitur, in Deo esse tantum duas processiones reales: nam tot sunt in Deo processiones reales, quot sunt personae realiter procedentes. At in Deo duae tantum sunt personae realiter procedentes. Ergo, &c. Divinae autem illae processiones, 1. sunt immanentes: nam processio illa dicitur immanens, quae existit in suo principio. At processiones divinae existunt in suo principio: sic processio Filii, sicut & ipse Filius, existit in Patre, quia est idem realiter cum essentia Patris. 2. Sunt vitales: nam sunt per intellectiōem & volitionem, & ita sunt actiones viventis, ut talis. 3. Sunt aeternae: nam Pater generat Filium ab aeterno; similiter Pater & Filius ab aeterno spirant Spiritum S. 4. Non sunt ex nihilo, quia termini illarum producuntur de substantia producentium: Filius enim est ex substantia Patris, & Spiritus S. ex substantia Patris & Filii.

Quæres I. Quinam sint termini formales processionum divinarum, ut productiones sunt? R. Esse pro-

Simonne T heol. Tom. 4.

prietates relativæ personarum productarum: nam terminus formalis productionis dicitur illud, quod proximè & ratione sui producit, & ratione cuius totum, cuius est pars, aut quasi pars, dicitur produci. Atqui proprietatem relativam personae productae, per quam scilicet persona producta relativè opponitur producenti, id est, quod proximè & ratione sui producit, & ratione cuius tota persona denominatur producta. Ergo, &c.

Dices. In productione personae creatae terminus formalis productionis est natura. Ergo & in productione personae divinae. R. neg. conseq. Disparitas est, quia in productione personae creatae producit natura. At in productione personae divinae non producit natura, sed tantum communicatur. Unde in productione personae divinae natura non est terminus processionis, ut productio est, sed tantum ut est communicatio.

Quæres 2. Quinam sint termini totales processionum divinarum? R. Esse personas productas, nempe Filium & Spiritum sanctum. Ratio est, quia terminus totalis productionis est totum illud, quod per eam denominatur produci. Sed totum quod denominatur produci per processionem divinam, est persona producta. Ergo, &c.

ARTICULUS VII.

Ex qua intellectiōe procedat Filius.

R. Esp. I. Filius procedit ex perfectissima notitia essentiae divinae. Ita omnes Scholastici.

Prob. Filius procedit ex illa notitia, in qua proximè fundatur fecunditas generandi. Sed fecunditas generandi fundatur proximè in perfectissima notitia essentiae divinae. Ergo, &c. *Prob. min.* Quia si fecunditas generandi convenit Deo ratione alicujus notitiae, certè convenit ratione notitiae omninò necessariae, & circa objectum nobilissimum modo perfectissimo variantis.

Resp. II. Filius procedit ex notitia intuitiva omnium personarum.

Prob. Nam Filius procedit ex perfectissima notitia essentiae divinae. Sed perfectissima notitia essentiae divinae est etiam notitia trium personarum. Ergo, &c. *Prob. min.* Quia essentia divina perfectissimè cognita, cognoscitur & quidem perfectissimè, ut communicabilis ad intra, & radix proprietatum personalium. At non potest sic cognosci, quin perfectissimè cognoscantur proprietates personales, & personae. Ergo, &c. Jam verò quod hæc notitia trium personarum, ex qua procedit Filius, sit intuitiva, faciliè ostenditur: nam est perfectissima notitia illarum, ut realiter existentium, & ipsi pro quolibet instanti reali coexistentium; cum re ipsa existant, & ipsi coexistent pro quolibet instanti realis durationis. Ergo, &c.

Obj. 1. Filius non procedit ex notitia Spiritus S. *Neg. Probabilis.* Si Filius procederet ex notitia Spiritus sancti, esset ejus imago. *Neg. seq.* Quia in divinis una persona non est imago alterius, nisi ab ea procedat. At Filius non procedit à Spiritu S. quamvis procedat ex ejus notitia.

At inquit. Si Filius procedit ex notitia Spiritus S. procedit à Spiritu S. *Neg. seq.* Nam notitia Spiritus sancti, non ipse Spiritus S. fundat fecunditatem generandi. *Probabilis tamen seq.* hoc argumento. Filius procedit ex notitia Spiritus S. Notitia Spiritus S. est ab ipso Spiritu S. velut objecto motivo & specificativo. Ergo Filius est à Spiritu S. *Neg. min.* Nam Spiritus S. se habet ad notitiam suam, ut objectum purè terminativum, non verò ut objectum motivum, quia non concurret ad eam physicè.

At inquit. Si Filius procedit ex notitia Spiritus S. Spiritus S. est prior Filio. *N. seq. Probabilis* hoc syllogismo. Spiritus S. est natura prior notitia sui. Notitia Spiritus S. est prior Filio. Ergo Spiritus S. est prior Filio. *N. maj.* Nam Spiritus S. non est causa notitiae, qua cognoscitur: notitia enim Spiritus S. non producit, & ita non potest esse à Spiritu S. ut objecto ad eam physicè concurrente cum intellectu divino.

At inquit. Saltem Spiritus S. est ratione prior

T 2 notitia

notitia sui: quod sufficit. *Prob.* Objectum terminativum est ratione prius, quam notitia, qua cognoscitur. Sed Spiritus S. est objectum terminativum notitiæ, qua cognoscitur. Ergo Spiritus S. est ratione prior, quam notitia, qua cognoscitur. *R. dist. maj.* Objectum terminativum contingens, ad quod proinde cognoscendum intellectus divinus de se indifferens est, & non determinatus, est ratione prius, &c. *C. maj.* Objectum terminativum, planè necessarium, & ad quod cognoscendum intellectus divinus est essentialiter determinatus, est ratione prius, &c. *N. major.* At Spiritus S. existens est objectum necessarium, & ad illum cognoscendum intellectus divinus essentialiter determinatus est. Unde intellectus divinus cognoscit Spiritum S. existentem, quia ex se & essentialiter determinatus est ad cognoscendum illum, & ita Spiritus S. non debet supponi ratione prius existens, quam cognoscatur.

At inquit. Mundus futurus est ratione prior, quam cognitio, qua cognoscitur à Deo esse futurus. Ergo similiter Spiritus sanctus, &c. *R. neg. conseq.* Nam mundus futurus est objectum contingens, ad quod proinde cognoscendum intellectus divinus est ex se indifferens, ita ut ex se aequè aptus sit ad cognoscendum oppositum. Unde ut intellectus divinus potius cognoscat mundum esse futurum, quam non esse futurum, debet aliquo modo determinari ab ipsa futuritione mundi, tanquam occasione, & objecto terminativo offerente hanc veritatem præ alia, quæ ejus loco posset aequè cognosci. Quare ut mundus cognoscatur à Deo esse futurus, debet supponi ratione prius esse futurus. At nihil simile dici potest de Spiritu S. & intellectu divino respectu Spiritus sancti; ut patet ex dictis.

Obj. 2. Filius non procedit ex cognitione intuitiva sui. *N. Probabilis.* Cognitio intuitiva Filii non est radix fecunditatis generandi. Ergo, &c. *N. ant. Probabilis.* Radix fecunditatis est ratione prior, quam fecunditas. Sed cognitio intuitiva Filii non est ratione prior, quam fecunditas generandi. Ergo, &c. *Neg. min. Probabilis.* Cognitio intuitiva Filii est cognitio Filii ut realiter existentis. Sed cognitio Filii ut realiter existentis, non est ratione prior, quam fecunditas generandi. Ergo, &c. *N. min. Probabilis.* Cognitio Filii ut existentis, non est ratione prior, quam Filius ut existens. Ergo multò minus ratione prior est, quam ipsa fecunditas producendi Filium. *Neg. ant.* Nam cognitio Filii ut existentis, est principium formale remotum productionis ejus. *Probabilis tamen ant.* Omnis cognitio objecti ut existentis, supponit existentiam objecti. Ergo cognitio Filii ut existentis, supponit Filium existentem, & consequenter ne quidem ratione prior est, quam Filius existens. *R. ant.* verum esse in homine, in quo objectum existens concurret physicè vel per se vel per speciem vicariam ad cognitionem sui intuitivam: falsum verò in Deo, in quo objectum existens non concurret physicè ad cognitionem sui intuitivam, nec per se nec per speciem. Unde in Deo cognitio objecti ut existentis, non solum non supponit existentiam objecti, sed ne quidem exigit ejus coexistentiam: nam Deus ab æterno intuitivè cognovit creaturas ut existentes in tempore.

Obj. 3. Cognitio, qua Pater generat Filium, est cognitio Filii ut futuri, non ut existentis. Ergo cognitio, qua Pater generat Filium, non est cognitio Filii intuitiva, sed abstractiva tantum. *N. ant. Probabilis.* Pater prius cognoscit cognitione, qua generat Filium, quam generet Filium; & prius generat Filium, quam sit Filius. Ergo, &c. *R. neg. conseq.* Nam Pater tantum ratione prius cognoscit, quam generet; & generat prius prioritate tantum originis, quam sit filius. Unde Filius existit pro omni instanti reali, pro quo Pater generat, & cognoscit cognitione, qua generat.

Obj. 4. Cognitio, qua Deus intuitivè cognoscit creaturas, non est causa illarum existentia. Ergo nec cognitio, qua Pater cognoscit intuitivè Filium, est principium formale generationis ejus. *R. neg. conseq.*

Disparitas est ex dictis ad *obj. 1.* Quia ratione prius est creaturas esse existentes pro tali differentia temporis, quam Deum eas intrinsece ut existentes pro tali differentia temporis. Unde cognitio, qua Deus intuitivè cognoscit creaturas, non est causa, sed potius aliquo modo effectus existentia illarum, ut exercita pro tali differentia temporis. At nihil simile dici potest de cognitione, qua Pater intuitivè cognoscit Filium; ut patet ex dictis loco citato.

Resp. III. Filius procedit ex cognitione creaturarum possibilem.

Prob. Nam Filius procedit ex perfectissima notitia essentia divina. Sed perfectissima notitia essentia divina est perfectissima notitia omnipotentia; & perfectissima notitia omnipotentia, est perfectissima notitia possibilem. Ergo, &c.

Obj. S. Anselmus in Monologio c. 30. dicit, verbum divinum non esse verbum creaturarum. Sed verbum divinum esset verbum creaturarum, si procederet ex illarum cognitione. Ergo, &c. *R.* Verbum divinum non esse verbum creaturarum possibilem productivè, quia verbum divinum non procedit à creaturis possibilem; sed esse verbum creaturarum possibilem objectivè, quia procedit ab actu, quo cognoscuntur creaturae possibilem: nam fecunditas generandi convenit Deo ratione cognitionis possibilem, quamvis non conveniat illi ratione ipsarum creaturarum possibilem. Unde creaturae possibilem se habent ad verbum divinum, ut objectum cognitionis, à qua est; & quamvis non sint ejus principium, sunt tamen objectum principii, à quo remotè procedit. Quare cum essentia divina & tribus personis dicuntur illo formaliter, & ita verbum divinum est de possibilem, licet non sit à possibilem. Quòd si S. Anselmus alicubi ait verbum non procedere à cognitione creaturarum, intelligendus est de cognitione creaturarum futurarum, aut existentium.

Resp. IV. Filius non procedit ex notitia creaturarum ut existentium, aut futurarum, sive absolute, sive conditionate.

Prob. Quia notitia, à qua verbum procedit, debet esse tam necessaria, quam verbum ipsum, & ejus productio: nam principium debet esse proportionatum productioni & termino producto, ut patet ex terminis. Atqui verbum & ejus productio sunt omnino necessaria; notitia verò creaturarum ut existentium, aut futurarum, est libera vel contingens. Ergo, &c. Præterea, etiam si nulla essent creaturae existentes aut futurae, & sic non esset in Deo notitia creaturarum existentium aut futurarum, adhuc idem verbum & eodem modo procederet; cum verbum, & modus quo procedit, sint absolute necessaria. Ergo verbum non procedit ex notitia creaturarum ut existentium, aut futurarum; alioqui non existente tali notitia, nec idem verbum, nec eodem modo procederet: nam Pater non diceret formaliter verbo omnia, quæ dicit formaliter, si verbum procedit ex tali notitia.

Obj. 1. Verbum procedit ex scientia eorum omnium quæ ipso dicuntur & exprimuntur. Sed futura & existentia dicuntur & exprimuntur verbo; nam Pater verbo futura & existentia dicit, & exprimit ipsimet verbo, tanquam persona, cui loquitur. Ergo, &c. *R. dist. maj.* Verbum procedit ex scientia eorum omnium, quæ ipso dicuntur formaliter, *C. maj.* Unde verbum procedit ex scientia necessaria essentia divina, trium personarum, & possibilem: nam hæc omnia dicuntur & exprimuntur verbo formaliter. Verbum procedit ex scientia eorum omnium, quæ ipso dicuntur consequenter tantum, & quasi in radice, *Neg. maj.* Unde verbum non procedit ex scientia contingentium, ut sunt futura & existentia creata, quia contingentia non dicuntur, & exprimuntur verbo, nisi consequenter, & quasi in radice.

Dices. Verbum procedit ex scientia eorum, quæ dicuntur ipso formaliter. Ergo procedit etiam ex scientia eorum, quæ dicuntur ipso consequenter tantum. *R. neg. conseq.* Disparitas est, quia scientia eorum, quæ verbo dicuntur formaliter, necessaria est. At in Deo

Deo omnis scientia necessaria apta est fundare, proindeque fundat fecunditatem generandi, & sic est principium formale remotum processionis Verbi. Scientia verò eorum, quæ verbo dicuntur & exprimuntur consequenter tantum, est scientia contingens. At in Deo scientia contingens non est apta fundare fecunditatem generandi, quæ est omnino necessaria, ac proinde ratione prior, quàm omnis scientia contingens: sicque scientia contingens non potest esse principium formale remotum processionis Verbi.

Dices. Tam futura & existentia creata dicuntur verbo formaliter, quàm essentia divina, tres personæ, & possibilia. Ergo verbum tam procedit ex scientia futurorum, & existentium creatorum, quàm ex scientia essentiae divinæ, trium personarum, & possibilibus. *R. neg. ant.* Nam Pater generando verbum, verbo dicit formaliter ipsum verbo ea, quorum scientiam per se primò communicat illi, ipsum producendo. At Pater scientiam essentiae divinæ, trium personarum, & possibilibus, per se primò communicat verbo, ipsum generando. Ergo Pater generando verbum, verbo dicit formaliter ipsi verbo essentiam divinam, tres personas, & possibilia: futura verò & existentia creata non dicit formaliter, quia generando verbum, non communicat illi naturam divinam per se primò, ut est scientia futurorum & existentium creatorum, sub qua consideratione ratione subsequitur generationem verbi; & in tantum communicat illi scientiam futurorum, & existentium creatorum, in quantum scientia necessaria essentiae divinæ, trium personarum, & possibilibus, quam illi formaliter communicat, apta est fieri, & ratione post ipsius verbi productionem fit per simplicem modificationem scientia futurorum & existentium creatorum, supposita eorum veritate obiectiva. Quod non est scientiam futurorum & existentium creatorum communicari verbo, nisi consequenter, & quasi in radice; proindeque Patrem non loqui verbo de futuris & existentibus creatis, nisi consequenter & quasi in radice: Pater enim loquitur Filio communicando illi scientiam, & eo modo loquitur, quo communicat illi scientiam, ipsum generando.

Obj. 2. Omnis cognitio, quam habet Filius vi suæ processionis, est principium formale remotum processionis ejus. Sed Filius habet, vi suæ processionis, scientiam futurorum & existentium creatorum. Ergo, &c. *R. dist. maj.* Omnis cognitio, quam habet Filius formaliter & per se primò vi suæ processionis, est principium formale remotum processionis ejus, C. maj. Nam omnis ejusmodi cognitio est planè necessaria, & sic apta fundare fecunditatem generandi. Omnis cognitio, quam habet Filius consequenter tantum vi suæ processionis, est, &c. N. maj. Nam omnis ejusmodi cognitio est contingens, & sic inepta ad fundandam fecunditatem generandi, quæ absolute necessaria est, & ratione prior omni scientia contingenti. *Ad min. autem dico,* Filium non habere nisi consequenter vi suæ processionis, cognitionem futurorum & existentium creatorum, ut suprà explicatum est. Unde nego consequ.

Obj. 3. Verbum procedit ex scientia eorum omnium quæ audit à Patre. At Verbum audit à Patre non solum necessaria, sed etiam contingentia. Ergo, &c. *R.* Verbum procedere ex scientia eorum, quæ audit à Patre formaliter, non verò ex scientia eorum, quæ audit à Patre consequenter tantum. At Verbum audit à Patre contingentia consequenter tantum: nam audit ea à Patre, quatenus nascendo accipit à Patre scientiam eorum, & ita eo modo audit ea à Patre, quo à Patre accipit eorum scientiam: non accipit autem à Patre eorum scientiam, nisi consequenter. Ergo non audit ea à Patre, nisi consequenter.

At inquit. Quare Verbum procedit tantum ex scientia eorum, quæ audit à Patre formaliter? *Resp.* Quia sola scientia eorum, quæ audit à Patre formaliter, necessaria est, ac proinde sola apta est fundare fecunditatem generandi, & ita sola apta est esse principium formale remotum processionis Verbi.

At inquit. Gratis dicitur scientiam eorum, quæ

Simones Theol. Tom. 2.

Verbum audit à Patre formaliter, necessariam esse, & solum necessariam esse. *R. neg.* Nam Verbum audit formaliter à Patre ea, quæ Pater dicit ei formaliter. At scientia eorum quæ Pater dicit Verbo formaliter, necessaria est, & sola necessaria est. Ergo, &c. *Nota.* Verbum audire à Verbo formaliter, est Verbum accipere à Patre scientiam formaliter. Pater autem dat Verbo formaliter omnem & solum scientiam necessariam. Igitur omnis & sola scientia eorum, quæ Verbum audit à Patre formaliter, necessaria est.

Obj. 4. Per id Pater constituitur in actu primo remoto ad producendum Verbum, per quod constituitur in actu primo remoto ad loquendum cum verbo: nam locutio Patris est ipsa productio verbi, quo loquitur ipsi verbo. Sed Pater constituitur in actu primo remoto ad loquendum cum verbo, per scientiam necessariam simul & contingentem: nam Pater loquitur cum verbo non solum de necessariis, sed etiam de contingentibus. Ergo Pater constituitur in actu primo remoto ad producendum verbum, per scientiam necessariam simul & contingentem; & ita in Deo scientia necessaria cum scientia contingenti facit adequatum principium formale, à quo remotè procedit verbum. *Ref. breviter,* Patrem per id constitui in actu primo remoto ad producendum verbum, per quod constituitur in actu primo remoto ad loquendum cum verbo formaliter de necessariis, & consequenter de contingentibus, nempe per scientiam necessariam essentiae divinæ, trium personarum, & possibilibus, quæ etiam apta est esse, & est ratione post verbum productum scientia contingentium. Unde adequatum principium formale remotum processionis verbi est scientia necessaria essentiae divinæ, trium personarum, & possibilibus, sed quæ simul apta est, & est ratione post verbi productionem scientia contingentium.

Obj. 5. Verbum procedit ex scientia comprehensiva divinitatis. Sed hæc scientia complectitur cognitiones necessarias & contingentes, quæ sunt in Deo: non enim comprehenditur divinitas, nisi cognoscantur actus ejus liberi, ac proinde eorum termini, nempe futura & existentia creata, quæ non nisi contingenter cognoscuntur. Ergo verbum procedit ex cognitionibus necessariis & contingentibus. *R.* Verbum non procedere ex scientia comprehensiva divinitatis adequatè sumpta, & prout se extendit etiam ad contingentia, ut futura & existentia creata, quia sub hac consideratione est aliquid contingens, & consequenter principium improprium generationi verbi, quæ est planè necessaria, & prior est ratione ex parte subjecti scientia futurorum & existentium creatorum, & actibus liberis divinæ voluntatis, in quibus hæc scientia fundatur.

Porro ex dictis hoc articulo, facile intelligitur, 1. Spiritum S. procedere ex amore necessario essentiae divinæ, trium personarum, & omnium possibilibus. 2. Non procedere ex amore libero, futurorum & existentium creatorum: primus enim amor, non verò secundus, aptus est fundare fecunditatem spirandi, quæ omnino necessaria est, & prior ratione ex parte subjecti omni amore libero & contingenti: sicque fecunditas spirandi fundatur in solo amore necessario, qui proinde solus est principium formale remotum processionis Spiritus sancti. Quæ contra hanc doctrinam opponi possunt, ex dictis hoc art. facile solvantur.

ARTICULUS VIII.

Quare processio secunda personæ sit potius generatio, quam processio tertie personæ.

Nota 1. In creatis generatio multipliciter accipitur. 1. Latissime, pro productione accidentis ex subjecto sustinente. 2. Latè, pro productione formæ substantialis materialis ex materia sustentante. 3. Proprie, pro productione substantiæ materialis completa,

pletæ, sive viventis sive non, ex materia componente. 4. Propriissimè, pro generatione vitali, quæ sola pertinet ad propositum nostrum, & communiter designatur, Origo viventis à vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ. Dicitur 1. Origo, id est, productio. 2. Viventis à vivente, quia ut generatio sit vitalis, requiritur ut producat & productum sint viventia. 3. Principio, supple, productivo. 4. Conjuncto, quia ut aliquid dicatur generare vitaliter, debet agere per aliquid, quod sibi sit vel fuerit conjunctum, & deinde communicetur genito. Sic animal generans agit per semen ex se decedens, quod transit in animal genitum. 5. In similitudinem naturæ, supple, specificæ: nam, ut docet S. Thomas q. 27. ar. 2. in O. ad veram generationem vitalem debet genitum habere naturam ejusdem planè speciei cum natura generantis: unde generatio muli v. g. non est generatio vitalis propriè dicta, quia sic mulus est ejusdem generis cum generantibus, ut tamen non sit ejusdem speciei cum illis. Hinc,

Nota 2. Generatio vitalis in creatis est actio per se tendens ad dandam genito formalem & proximam fecunditatem generandi aliud suppositum ejusdem speciei: nam generatio vitalis in creatis tendit ad dandam genito eandem speciem naturam cum natura generantis, quæ per se habet formalem & proximam fecunditatem generandi aliud suppositum ejusdem speciei. Ergo generatio vitalis in creatis tendit ad dandam genito formalem & proximam fecunditatem generandi aliud suppositum ejusdem speciei, proindeque semper ac necessariò dar, seclusis tamen impedimentis, quæ contra naturæ intentionem accidere possunt. Hinc generatio vitalis sic rectè & integrè describitur, Origo viventis à vivente ut principio conjuncto in similitudinem naturæ specificæ, cum formali, seclusis impedimentis, & proxima fecunditate generandi aliud suppositum ejusdem speciei: vel, quod idem est, Origo viventis à vivente ut principio conjuncto in similitudinem naturæ specificæ, cum formali, seclusis impedimentis, & proxima fecunditate communicandi eandem saltem specie naturam alteri supposito.

Nota 3. Processio secundæ personæ in divinis est origo viventis à vivente ut principio conjuncto in similitudinem naturæ, cum formali & proxima fecunditate ulterius communicandi eandem naturam. 1. Est origo hoc est, productio. 2. Est origo viventis: nam secunda persona est suppositum vivens. 3. Est origo viventis à vivente: nam prima persona, à qua procedit secunda, est etiam suppositum vivens. 4. Est origo viventis à vivente ut principio conjuncto: nam prima persona producit secundam per intellectionem, quam illi totam communicat, & totam sibi retinet. 5. Est origo viventis, &c. in similitudinem naturæ: nam secunda persona habet vi suæ processionis, eandem numero naturam, quam habet prima; & ita secunda persona habet vi suæ processionis, perfectissimam in natura similitudinem cum prima persona. 6. Est origo viventis, &c. cum formali & proxima fecunditate communicandi eandem naturam ulterius: nam secunda persona vi suæ processionis, habet vim producendi tertiam personam, eique communicandi naturam divinam.

Nota 4. Processio tertiæ personæ in divinis est etiam origo viventis à vivente ut principio conjuncto in similitudinem naturæ: nam est productio suppositi viventis à duobus suppositis viventibus & producentibus per volitionem, quam sic totam tribunt supposito producto, ut totam sibi retineant, & per quam eandem numero naturam, quam habent, communicant supposito producto, quod proinde cum suppositis producentibus habet vi suæ productionis perfectissimam similitudinem in natura: sic tamen ut non accipiat vim producendi quartam personam, quæ in Deo impossibilis est. Unde processio tertiæ personæ in divinis est origo viventis à vivente ut principio conjuncto in similitudinem naturæ, sine fecunditate eandem naturam ulterius communicandi.

Nota 5. Processio secundæ personæ in divinis ha-

bet specialem convenientiam cum generatione vitali in creatis, quæ speciali convenientia caret processio tertiæ personæ: nam processio secundæ personæ per se tendit ad dandam personæ productæ fecunditatem ulterius communicandi naturam divinam, quam accipit: est enim per se productiva proprietatis relativæ, secundam personam constituentis, & per viam intellectus existentis, sicque non habentis oppositionem relativam cum fecunditate, quæ est per voluntatem, & quacum proinde essentialiter est idem realiter. At processio tertiæ personæ non tendit ad dandam personæ productæ fecunditatem communicandi ulterius naturam divinam: cum enim sit actio perfectissima & ordinatissima, non tendit ad impossibile. Est autem impossibile naturam divinam communicari pluribus personis, quàm duabus, & in pluribus personis subsistere, quàm in tribus: nam si possibile esset, essent in Deo plures personæ, quàm tres: tot enim essent, quot essent possibiles; cum in necessariis idem sit esse, & posse esse. His omnibus præsuppositis, sit

Resp. Processio secundæ personæ dicitur & est generatio, quia per se tendit ad dandam, & dat cum natura divina formalem & proximam fecunditatem communicandi eandem naturam.

Prob. Quia hoc nomen, generatio, à creatis ad divinam translaturum est, ad significandam specialem convenientiam, quam habet processio secundæ personæ, & quam non habet processio tertiæ, cum actione illa, quæ in creatis dicitur & est generatio vitalis. Sed hæc convenientia consistit in eo, quòd processio secundæ personæ per se tendit ad dandam, &c. ut patet ex supra dictis. Ergo, &c. Hinc secunda persona in divinis dicitur & est Filius, quia accipit naturam divinam cum formali & proxima fecunditate eandem naturam ulterius communicandi. Hinc processio tertiæ personæ non est generatio, & tertiæ persona non est Filius, quia processio tertiæ personæ non tendit ad dandam naturam divinam cum fecunditate, & tertiæ persona accipit naturam divinam sine fecunditate.

Obj. Hæc sententia repugnat Patribus. *Neg. Probabis.* Patres docent secundam personam esse Filium, quia est imago Patris, quia est per intellectum, quia est verbum. Ergo, &c. *R. neg. conseq.* Nam hi modi loquendi Patrum facili conciliantur cum sententia nostra. Itaque secunda persona est Filius, quia est imago Patris. At est imago Patris, quia accipit naturam divinam cum fecunditate. Item secunda persona est Filius, quia est verbum, quia est per intellectum: nam quia est per intellectum, quia est verbum, nullam habet oppositionem relativam cum fecunditate, quæ est per voluntatem; & ita quia est per intellectum, quia est verbum, habet cum natura divina fecunditatem, quæ est per voluntatem. Quòd autem secunda persona ex eo quòd est per intellectum, nullam habeat oppositionem cum fecunditate, quæ est per voluntatem, sic breviter ostenditur. Fecunditas, quæ est per voluntatem, supponit volitionem necessariam, & volitio necessaria intellectionem necessariam, quæ sola profundit virtualiter fecunditatem, à qua immediatè procedit secunda persona. Ergo processio secundæ personæ nec supponit fecunditatem, quæ est per voluntatem, nec ab ea ullatenus dependet, proindeque nullam cum ea habere potest oppositionem relativam.

SECTIO I.

De Relationibus Divinis.

ARTICULUS I.

Utrum denetur in Deo Relationes ad intra, & quales ac quot sint.

R. Respond. 1. Dantur in Deo Relationes reales ad intra.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ personas divinas secundum

dum suum esse reale & proprium revelans, appellat eas nominibus relativis; ut Matth. cap. ult. ubi dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Nam Pater ad Filium; Filius ad Patrem; Spiritor ad Spiritum; Spiritus ad Spiratorem referuntur realiter, ut docet S. Augustinus lib. 5. de Trin. cap. 5. *Quia Pater, inquit, non dicitur Pater, nisi ex eo quod est ei Filius; & Filius non dicitur, nisi ex eo quod habet Patrem: non secundum substantiam hac dicuntur, quia non quisque eorum ad se ipsum, sed ad invicem atque ad alterutrum ista dicuntur.* Idem dic de Spiratore & Spiritu. Et Conc. Toletan. II. in professione fidei, ubi sic ait: *Quod Pater est, non ad se, sed ad Filium est; & quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter & Spiritus S. non ad se, sed ad Patrem & Filium relativè refertur, in eo quod Spiritus Patris & Filii predicatur.*

Prob. 2. Auctoritate Conciliorum generalium, ut Nicæni, Constantinopolitani, Lateranensis IV. Tridentini, à quibus etiam tres personæ nominibus relativis Patris & Filii & Spiritus sancti nominantur; quæ nomina in sensu improprio & metaphorico à Conciliis usurpari nefas est dicere.

Prob. 3. Ratione. Si non essent in Deo relationes ad intra reales, non essent in Deo personæ realiter inter se distinctæ. Falsum consequenter. Ergo, &c. *Prob. seq. maj. 1.* ex S. Augustino tract. 39. in Joan. ubi sic habet de personis divinis: *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt.* 2. Boetii lib. de Trin. *Substantia continet unitatem: relatio multiplicat trinitatem.* 3. Ratione sumpta ex S. Anselmo lib. de process. Spiritus S. Quia in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.

Resp. II. Relationes Dei ad intra sunt transcendentales.

Prob. Nam relatio transcendentalis est ea, quæ non respicit terminum purè sub ratione termini. Sed in divinis una relatio non respicit aliam purè ut terminum, sed ut producens, vel ut productum. Ergo sunt transcendentales. Habent tamen multa, quæ communiter attribuantur relationibus categoricis. 1. Enim id totum, quod sunt, ad aliud sunt: sic v. g. id totum, quod Pater est quia pater, est ad Filium, & vicissim. Similiter id totum, quod est Spiritor quia spirator, est ad Spiritum S. & vicissim. 2. Impossibile est eas esse sine termino: nam non potest esse Pater sine Filio, & vicissim. Similiter non potest esse Spiritor sine Spiritu sancto, & vicissim. 3. Sunt simul cognitione: nam impossibile est Patrem perfectè cognosci sine Filio, & vicissim. Similiter impossibile est cognosci Spiratorem sine Spiritu sancto, & vicissim.

Resp. III. Relationes ad intra quatuor sunt in Deo, scilicet paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva.

Prob. Datur in Deo fecunditas generandi, & terminus ejus. Item in Deo datur fecunditas spirandi, & terminus ejus. Ergo dantur in Deo quatuor relationes ad intra, nempe fecunditas generandi, seu paternitas; terminus ejus, seu filiatio; fecunditas spirandi, seu spiratio activa; & terminus ejus, seu spiratio passiva.

Confirm. Quia certum est dari in Deo tres personæ, nempe Patrem, Filium, & Spiritum S. Ergo jam certum est dari in Deo tres relationes ad intra, nempe paternitatem, filiationem, & spirationem passivam. Ergo de sola quarta, nempe de spiratione activa, controversia esse potest; quam etiam dari sic ostenditur. Datur in Deo principium formale proximum processionis Spiritus S. ab eo realiter distinctum, eique relativè oppositum. Sed tale principium non est paternitas sola, alioqui Spiritus S. non est à Filio: non est filiatio sola; alioqui Spiritus S. non est à Patre: non est paternitas simul & filiatio; alioqui principium formale proximum processionis Spiritus S. non est totum in Patre formaliter. Ergo superest, ut sit aliquid saltem formaliter distinctum à paternitate & filiatione, nempe fecunditas spirandi, seu spiratio activa.

Quomodo Relationes ad intra distinguantur inter se?

R. Esp. I. Paternitas à filiatione, & spiratio activa à spiratione passiva distinguuntur realiter.

Prob. Relationes ad intra invicem oppositæ, distinguuntur inter se realiter. Sed paternitas cum filiatione, & spiratio activa cum spiratione passiva habet realem oppositionem immediatam. Ergo, &c. Major est certa: nihil enim sibi ipsi realiter opponitur. *Prob. min.* Quia filiatio est à paternitate, & spiratio passiva à spiratione activa. At producens & productum habent inter se oppositionem realem & immediatam. Ergo, &c.

Resp. II. Paternitas & filiatio distinguuntur realiter à spiratione passiva.

Prob. Quia paternitas & filiatio habent cum spiratione passiva oppositionem realem, non quidem immediatam & per se; nam spiratio passiva non est à paternitate & filiatione; sed mediatam & per spirationem activam, sufficientem ad distinctionem realem. Ergo, &c. *Prob. ant.* Paternitas & filiatio ex se & ex sua ratione individuali essentialiter exigunt identificari spirationi activæ. Ergo spiratio activa est per identitatem in omni supposito, in quo paternitas & filiatio sunt per identitatem. Ergo spiratio passiva non potest esse per identitatem in eodem supposito cum paternitate & filiatione: alioqui spiratio passiva poterit esse in eodem supposito per identitatem cum spiratione activa, & ita idem suppositum poterit esse simul spirans & spiratum; quod repugnat. Atqui relationes quæ non possunt esse per identitatem in eodem supposito, habent inter se oppositionem sufficientem ad distinctionem realem, ut pater ex terminis. Ergo paternitas & filiatio habent cum spiratione passiva oppositionem mediatam, & ratione spirationis activæ, sufficientem ad distinctionem realem.

Resp. III. Paternitas & filiatio distinguuntur à spiratione activa virtualiter tantum.

Et 1. quidem, quod distinguantur saltem virtualiter, est extra controversiam: nam illa distinguuntur saltem virtualiter, quibus conveniunt prædicata contradictoria. Sed aliquid affirmatur de paternitate & filiatione, quod negatur de spiratione activa, & vicissim: nam paternitas generat, spiratio activa non generat; filiatio producit, spiratio activa non producit; spiratio activa spirat, paternitas & filiatio non spirant. Ergo, &c.

2. Quod distinguantur virtualiter tantum, probatur. Nam si paternitas & filiatio distinguuntur à spiratione activa plus quam virtualiter, vel distinguuntur formaliter ex natura rei, vel realiter. Neutrum dici potest. Non primum. Nam distinctionem formalem ex natura rei gratis fabricatam esse à Scoto, suo loco ostensum est. Non etiam secundum. Nam spiratio activa est in eodem supposito cum paternitate, sicut & cum filiatione; est enim in Patre & Filio. Ergo vel est per aggregationem, vel per unionem, vel per identitatem. Non primum aut secundum, ut plane certum est. Ergo tertium. Ergo spiratio activa est idem realiter cum paternitate & filiatione.

Confirm. Nam spiratio activa cum paternitate & filiatione nullam habet oppositionem realem. Ergo, &c. *Probatur ant.* Si habet, vel habet immediatam, vel mediatam. Non primum. Nam nec producit illas, nec ab illis producit. Non secundum. Nam nihil est, cui identificetur, & ratione cuius non possit esse per identitatem in eodem supposito cum paternitate aut filiatione. Ergo, &c. Præterea Pater habet per identitatem quiddam communicat Filio. Sed Pater, quia pater, communicat Filio spirationem activam. Ergo Pater, quia pater, habet per identitatem spirationem activam. Ergo Pater ratione paternitatis habet per identitatem spirationem activam. Ergo paternitas ex sua ratione individuali identificat sibi spirationem activam. Similiter Filius, quia filius, habet per identitatem spirationem activam: sicut enim de ratione generantis est dare, ita de ratione

geniti est accipere fecunditatem. Ergo Filius ratione filiationis habet per identitatem spirationem activam. Ergo filiatio ex sua ratione individuali identificat sibi spirationem activam. Ergo spiratio activa nec à paternitate nec à filiatione distingui potest realiter.

Itaque spiratio activa se habet ad Patrem & Filium, sicut natura ad tres personas. Nam 1. est una & eadem numero in Patre & Filio, sicut natura in tribus personis. 2. Convenit Patri & Filio per summam identitatem, sicut natura tribus personis. 3. Per eam Pater & Filius sunt unus spirator; sicut per naturam tres personæ sunt unus Deus. Differt tamen à natura in eo quod opponitur uni personæ, nempe tertie, natura verò nulli opponitur. Unde natura tribus personis identificatur, spiratio verò activa duabus tantum.

Obj. Paternitas & spiratio activa non conveniunt Patri respectu ejusdem: nam paternitas convenit illi respectu Filii tantum, & spiratio activa respectu Spiritus S. tantum. Ergo in Patre paternitas & spiratio activa distinguuntur realiter. *Res.* neg. conseq. Nam ad hoc ut paternitas & spiratio activa non conveniant Patri, nisi respectu diversorum, sufficit distinctio virtualis inter paternitatem & spirationem activam. Itaque in Patre est entitas relativa, simplex realiter, sed virtualiter duplex, constans ex duabus veluti partibus virtualiter distinctis, quarum una est productiva Filii, & est paternitas; altera productiva Spiritus S. & est spiratio activa. Similiter est in Filio entitas relativa, simplex realiter, & virtualiter duplex, constans ex duabus entitatibus relativis partialibus, & virtualiter tantum distinctis, quarum una producit à Patre, & est filiatio, altera producit Spiritum S. & est spiratio activa. Ex his apparet sufficere distinctionem virtualem, ut paternitas & spiratio activa non conveniant Patri, item ut filiatio & spiratio activa non conveniant Filio respectu ejusdem.

Dices 1. Sicut se habet paternitas ad filiationem, ita se habet spiratio activa ad spirationem passivam, Ergo à commutata proportionem, sicut se habet paternitas ad spirationem activam, ita se habet filiatio ad spirationem passivam, & consequenter paternitas distinguitur realiter à spiratione activa; alioqui filiatio & spiratio passiva non distinguuntur realiter. *R. breviter*, argumentum à proportionem commutata non valere, nisi in quantitativis.

Dices 2. Paternitas & spiratio activa correspondent relationibus disparatis, & quasi specie differentibus realiter, nempe filiationi, & spirationi passivæ. Ergo, &c. *R. neg. conseq.* Quia entitas eadem realiter, sed virtualiter multiplex, potest per se ipsam referri transcendentaliter ad terminos disparatos, & realiter diversos, ut pater in omnipotentia divina, in voluntate creata, &c.

Dices 3. Duæ productiones passivæ non possunt esse ab una & eadem realiter productione activa. Sed filiatio & spiratio passiva sunt duæ productiones passivæ, quarum una est à paternitate, & altera à spiratione activa. Ergo, &c. *R. neg. maj.* Nam eidem virtuti virtualiter multiplici respondere possunt plures actiones, & plures termini realiter distincti & diversi.

Dices 4. Si paternitas & spiratio activa non distinguuntur realiter, Pater producit Filium per spirationem activam. *R.* Patrem producere Filium per entitatem relativam, quæ est simul paternitas & spiratio activa; sed producere per illam, non quæ est spiratio activa, sed quæ est paternitas, seu quæ est fecunditas generandi, non quæ est fecunditas spirandi.

Dices 5. Filiatio & spiratio activa in Filio sunt relationes producentis & producti. Ergo distinguuntur in Filio realiter. *R. neg. conseq.* Quia in eodem eadem realiter entitas, sed virtualiter duplex, potest simul esse respectu diversorum terminus formalis, & principium formale productionis, & consequenter relatio producentis & producti respectu diversorum.

Dices 6. Si spiratio activa non distinguitur realiter à paternitate & filiatione, paternitas & filiatio non distinguuntur inter se realiter: nam quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. *Res.* neg. seq.

Ad prob. Resp. dist. Quæ sunt eadem uni tertio incommunicabili, sunt eadem inter se, C. Quæ sunt eadem uni tertio communicabili pluribus relativè oppositis, proindeque realiter inter se distinctis, Neg. At spiratio activa est aliquid æquivalenter universale, & communicabile pluribus relativè oppositis, nempe Patri & Filio, sicut natura divina est aliquid æquivalenter universale, & communicabile pluribus relativè oppositis, nempe tribus personis. *At inquit.* Duo absoluta non possunt identificari uni tertio, & simul inter se distingui realiter. Ergo nec duo relativa. *R. neg. conseq.* Disparitas est, quia duo relativa, quamvis uni tertio identificata, possunt adhuc habere sufficientem causam distinctionis realis, nempe relativam oppositionem, quam habent inter se producens & productum.

Dices 7. Paternitas & filiatio possunt esse sine spiratione activa: nam etiam si Pater & Filius non spirarent, adhuc Pater generaret, & Filius generaretur. *R. neg. instant.* & probationem ejus. Nam de ratione generantis est communicare; & de ratione geniti, accipere naturam fecundam. Quod si prima & secunda persona non spirarent, & sic carent fecunditate spirandi, prima persona non communicaret, nec secunda acciperet naturam fecundam, & ita nec prima persona generaret, nec secunda generaretur; unde nec prima persona esset Pater, nec secunda Filius.

Dices 8. Relationes Dei ad intra reales sunt quatuor. Ergo sunt quatuor res. Ergo distinguuntur inter se realiter. Nam res ex communi usu significat entitatem ut est à parte rei, & ita quatuor res sunt quatuor entitates à parte rei. *R. neg. conseq.* Nam relationes Dei ad intra, quantumvis reales, faciunt tantum numerum ternarium, nec sunt quatuor nisi virtualiter & logicè. Unde sunt tantum tres res relativæ; sicut attributa absoluta, quantumvis realia, quia nullum faciunt numerum, nec plura sunt nisi virtualiter & logicè, non sunt nisi una res. Unde neg. 2. conseq.

ARTICULUS III.

Quomodo relationes ad intra distinguuntur ab Essentia Divina.

Resp. I. Relationes ad intra non distinguuntur realiter ab Essentia Divina. Est de fide.

Prob. In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. At relationes ad intra nullam habent oppositionem relativam cum essentia divina: nam nec producant eam, nec ab ea producantur: hic enim nomine essentiae præcisè intelligimus cumulum omnium perfectionum absolutarum. Ergo, &c.

Obj. 1. Illa distinguuntur realiter, quibus conveniunt prædicata contradictoria. Sed essentia & relationibus conveniunt prædicata contradictoria: nam verè dicitur: Paternitas generat, essentia non generat; filiatio producit, essentia non producit; essentia communicatur, paternitas non communicatur, &c. Ergo, &c. *Responderi potest breviter*, 1. Majorem fallere in Deo, in quo reperitur inter essentiam & relationes distinctio virtualis ab intrinseco, æquivalens distinctioni reali in ordine ad verificanda prædicata contradictoria de essentia & relationibus. *R. 2.* dist. maj. Illa distinguuntur realiter, quibus conveniunt prædicata verè contradictoria, Con. maj. Quibus conveniunt prædicata apparenter tantum contradictoria, Neg. maj. At essentia & relationibus non conveniunt prædicata verè contradictoria; & cum dicitur v. gr. Paternitas generat, essentia non generat; generare & non generare non sunt nisi apparenter contradictoria, quia tunc idem non affirmatur & negatur secundum idem de eodem vel pluribus, sed idem tunc affirmatur & negatur de eodem diversimodè considerato: nam sensus propositionis est, Entitas divina generat, sumpta secundum considerationem illam, secundum quam dicitur paternitas; non

non generat sumpta secundum considerationem aliam, secundum quam dicitur essentia. Ad quod, ut verum sit, non requiritur realis distinctio inter paternitatem & essentiam, sed sufficit virtualis amplitudo in entitate divina, & virtualis distinctio inter paternitatem & essentiam. Quod ut melius intelligas,

Nota 1. Res planè simplex realiter, potest habere virtutalem amplitudinem, & vi hujus virtualis amplitudinis, æquivalere multis realiter distinctis. 1. In ordine ad diversos effectus præstandos. 2. In ordine ad operandum inadæquatè. 3. In ordine ad exprimi diversos & inadæquatis conceptibus. 4. In ordine ad fundandam veritatem prædicatorum apparenter contradictoriorum. Sic v.g. anima rationalis, quamvis in se realiter simplex, est virtualiter ampla: nam æquivaleret bruto v.g. & Angelo. 1. In ordine ad diversos effectus præstandos: sentit enim ut brutum, & intelligit ut Angelus. 2. In ordine ad operandum inadæquatè: nam cum sentit, tam agit præcisè ut æquivaleret bruto, quam si non æquivaleret Angelo. Similiter cum intelligit, tam operatur præcisè ut æquivaleret Angelo, quam si non æquivaleret bruto. 3. In ordine ad terminandos diversos & inadæquatos conceptus: nam cum possit tam operari præcisè ut æquivaleret bruto, quam si non æquivaleret Angelo, & vicissim; quidni possit uno conceptu tam exprimi præcisè ut æquivaleret bruto in ordine ad sentiendum, quam si non æquivaleret Angelo in ordine ad intelligendum, & vicissim? 4. In ordine ad fundandam veritatem prædicatorum apparenter contradictoriorum: nam tunc sunt prædicata apparenter contradictoria, cum idem affirmatur & negatur de eodem sumpto secundum diversas considerationes, seu æquivalentias. Ad hoc autem ut idem verè affirmetur & negetur de eodem secundum diversas considerationes & æquivalentias sumpto, requiruntur & sufficiunt duo. 1. Ut res simplex possit considerari diversimodè, hoc est, ut possit uno conceptu exprimi præcisè secundum unam æquivalentiam, & alio præcisè secundum aliam. 2. Ut rei simplici aliquid conveniat secundum unam considerationem & æquivalentiam, & non secundum aliam. At anima rationalis hoc utrumque habet per virtutalem suam amplitudinem, ut ostensum est. Itaque, quamvis anima rationalis sit in se simplex realiter; quia ramen est virtualiter ampla, verè dicitur: Animalitas sentit, rationalitas non sentit; quia licet sentire affirmetur & negetur de eodem simplici, nempe de anima rationali, affirmatur & negatur de illo sumpto secundum diversas considerationes & æquivalentias, secundum quarum unam convenit illi, non secundum aliam propter virtutalem ejus amplitudinem; & sensus propositionis est: Anima rationalis sentit, ut æquivaleret bruto, non ut æquivaleret Angelo. Quod verum est.

Nota 2. Entitas divina, in se simplicissima, habet virtutalem amplitudinem infinitam, & æquivaleret, seclusa omni imperfectione, creatis distinctis pluribus & pluribus in infinitum: nam hoc est perfectio maxima & simpliciter simplex. Hinc entitas divina potest per se ipsam præstare, seclusis imperfectionibus, quod præstare possent creata distincta plura & plura in infinitum. Hinc entitati divinæ convenit aliquid prout æquivaleret alicui rei creatæ, non prout æquivaleret alteri. Hinc entitas divina representabilis est diversis & inadæquatis conceptibus, uno scilicet, prout æquivaleret uni rei creatæ, & altero prout æquivaleret alteri. Hinc denique entitas divina fundat veritatem prædicatorum apparenter contradictoriorum sine distinctione reali. Sic v.g. verè dicitur: Justitia divina punit, misericordia divina non punit; nam punire affirmatur & negatur de eodem simplici, sed virtualiter amplo, nempe de entitate divina, sumpta secundum diversas considerationes & æquivalentias. Sensus enim est: Entitas divina punit prout æquivaleret justitiæ creatæ, non prout æquivaleret misericordiæ creatæ: quod verum est sine distinctione reali justitiæ & misericordiæ divinæ. Similiter verè dicitur: Paternitas generat, essentia non generat; quamvis inter paternitatem & essentiam non intercedat realis distinctio; quia tunc

generare affirmatur & negatur de entitate divina, sumpta secundum diversas æquivalentias, secundum quarum unam convenit illi generare, non secundum aliam: sensus enim est: Entitas divina generat prout æquivaleret potentiæ creatæ, non prout æquivaleret essentiæ creatæ; entitas divina generat, prout est talis entitas relativa, non prout est absolute, justitia, misericordia, &c. quod verum est propter virtutalem amplitudinem entitatis divinæ.

Obj. 2. Illa distinguuntur realiter, quorum unum reperitur sine alio. Atqui essentia divina reperitur in Filio sine paternitate. Ergo, &c. *R.* dist. maj. Illa distinguuntur realiter, quorum unum reperitur sine alio in omni supposito, in quo est, C. maj. Quorum unum reperitur sine alio in uno supposito, sed reperitur cum illo in altero, N. maj. At sic essentia divina reperitur in Filio sine paternitate, ut reperitur cum illa in Patre, & quidem per identitatem. Essentia autem divina reperitur in Filio sine paternitate, quia essentia divina communicatur Filio sine paternitate. Ad quod sufficit virtualis amplitudo in entitate divina, & distinctio virtualis inter essentiam & paternitatem.

Obj. 3. Deus videt essentiam divinam distingui à paternitate: nam videt paternitatem generare, & essentiam non generare. Ergo, &c. *R.* Deum videre essentiam distingui virtualiter à paternitate, in quantum videt entitatem divinam esse virtualiter amplam, eamque æquivalere essentiæ & potentiæ creatæ realiter distinctis, & generare prout æquivaleret potentiæ creatæ generandi, non prout æquivaleret essentiæ creatæ.

Resp. II. Relationes ad intra distinguuntur virtualiter ab essentia divina.

Prob. Non potest idem affirmari & negari de eodem, secundum idem planè tum re, tum ratione, sine manifesta absurditate. Sed de paternitate & spiratione activa affirmatur, quòd producant; de essentia negatur, De filiatione & spiratione passiva affirmatur, quòd producantur; negatur de essentia. Ergo datur aliqua distinctio inter essentiam divinam & paternitatem, spirationem activam, &c. Non distinctio realis, ut probatum est. Ergo virtualis.

Obj. In Concilio Rhemenfi contra Gilbertum Porretanum definitum est, essentiam divinam non distingui ratione à relationibus: nam Concilium dixit: *In Theologia inter essentiam & personas ratio non distinguitur.* Ergo, &c. *R.* neg. ant. *Ad prob. R.* sensum verborum esse: Essentia divina à personis non dicitur esse distincta in re. Quod ut intelligas, *Nota.* Gilbertus duplicem aiebat esse distinctionem rationis, unam scilicet in Theologia, alteram in Mathematica. Intelligebat autem per distinctionem rationis in Theologia, distinctionem in re; & per distinctionem rationis in Mathematica, distinctionem logicam. Itaque Eugenius III. approbante Concilio, utens verbis Gilberti, contra eum definit, essentiam divinam non distingui realiter à personis divinis.

ARTICULUS IV.

Utrum relationes ad intra sint de conceptu essentia divine.

R. Esp. I. Relationes ad intra non sunt de conceptu essentia divine, quæ proinde ab illis perfectè præcindit.

Prob. Nam si relationes sunt de conceptu essentia divine, 1. Filius non habet formaliter totam essentiam, cum non habeat omnes relationes, & ita non est plenè & perfectè Deus. Quod est contra Nicænum Concilium, à quo definitum est, teste Nazianzeno orat. 50. Filium esse Deum de Deo, perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno. 2. Pater non communicat Filio totam substantiam divinam, cum non communicet illi paternitatem; & ita Filius non habet totam substantiam divinam. Quod est contra Lateranense IV. cap. 2. ubi definitur, sine ulla diminutione Filium nascendo substantiam Patris accepisse.

3. Ceter-

3. Cernitur realis numerus in essentia, ratione scilicet relationum, quas includit. Quod est contra Toletanum 11. in professione fidei, ubi sic ait: *In relatione personarum numerus cernitur; in divinitatis vero substantia quid enumeratum sit, non comprehenditur.*

4. Denique, qualibet trium personarum non est tota essentia. Quod est contra Later, IV. cap. 2. ubi ita habet: *Qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina. Ergo, &c.*

Obj. 1. Ex S. Thoma q. 27. a. 2. ad 3. paternitas & filio includuntur in esse divino. Ergo sunt de conceptu essentiae. *R. dist. ant.* Paternitas & filio includuntur in esse divino adaequatè sumpto, seu in esse Dei, ut unus & trinus est, *C. ant.* Includuntur in esse divino inadaequatè sumpto, seu in esse Dei, ut unus est, *N. ant.* & conseq.

Obj. 2. Essentia divina est tota ratio esse divini adaequatè sumpti. Ergo relationes ad intra sunt partes essentiales, & consequenter sunt de conceptu essentiae. *Neg. ant. Probabis.* Ens simplicissimum debet habere unicam essentiam, quae sit ratio totius esse ipsius. Sed Deus est ens simplicissimum. Ergo, &c. *R.* Deum sic esse ens simplicissimum, ut tamen sit realiter trinus. At non est trinus realiter per essentiam, quae tribus personis communis est, sed per relationes ad intra invicem oppositas. Unde esse divinum adaequatè sumptum, praeter essentiam dicit relationes ad intra, quae cum essentia constituunt Deum unum & trinum, & consequenter esse divinum adaequatè sumptum.

Obj. 3. Haec praedicatio, Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, non est accidentaliter. Ergo est essentialiter. Ergo Pater v. g. quia pater, & consequenter paternitas, est aliquid essentialiter, & de conceptu essentiae. *R.* praedicationem illam, Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, neque accidentalem, neque essentialiter esse, sed esse substantialem, per substantialem intelligendo quicquid pertinet ad constitutionem suppositi, quod est totum substantiale. Itaque paternitas est aliquid substantiale non quod constituat Deum in esse Dei; hoc enim facit sola essentia; sed quod constituat Deum in esse talis suppositi, nempe in esse Patris. Unde paternitas est non pars essentiae, sed pars virtualis suppositi.

Resp. II. Essentia divina non est de conceptu relationum ad intra, & ita relationes ad intra perfecte praecindunt ab essentia divina.

Prob. Idem iudicium esto de omnibus relationibus ad intra, ac de filiatione. Sed essentia divina non est de conceptu filiationis. Ergo, &c. *Prob. min.* Si essentia divina est de conceptu filiationis, filio etiam formaliter sumpta, est in recto ipsa essentia divina. Falsum conseq. Ergo, &c. *Prob. min.* Si filio etiam formaliter sumpta, est in recto ipsa essentia divina, filio non potest produci, quin producat essentia divina. Falsum conseq. Ergo, &c.

Obj. 1. Filiatio v. g. est modus essentiae divinae. Sed modus etiam in sensu formali est subiectum, quod modificat. *R.* minorem veram esse de modo puro, qui subiecto non superaddit entitatem propriam: falsam verò de modo non puro, qui entitatem propriam superaddit subiecto modificato. Filiatio autem est modus non purus essentiae divinae: nam superaddit essentiae divinae entitatem propriam relativam, quamvis ab ea realiter indistinctam. 1. Superaddit essentiae entitatem propriam: nam propriè producit; nihil autem propriè producit, nisi entitas. 2. Haec entitas relativa, quam superaddit essentiae, non distinguitur ab ea realiter, quia in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. At filio nulla habet oppositionem cum essentia.

Obj. 2. Paternitas, filio, & spiratio passiva sunt substantiae propriae & connaturales personarum divinarum. Sed substantia propria & connaturalis includit naturam substantem. Ergo, &c. *R.* minorem veram esse in creatis, in quibus substantia nihil aliud est quam natura, ut completa ultimò, &

terminata se ipsa; falsam verò in divinis, in quibus substantia superaddit naturae entitatem propriam relativam; cum vel sit principium formale proximum productionis ad intra, vel terminus ejus formalis, quorum neutrum esse potest natura formaliter sumpta.

Obj. 3. Paternitas est fecunditas communicandi naturam divinam. At paternitas non potest esse fecunditas communicandi naturam divinam, nisi includat eam formaliter. Ergo, &c. *R. neg. min.* Nam ut paternitas possit communicare naturam divinam, satis est quod eam habeat virtualiter, quatenus est vis productiva termini, qui essentialiter est idem realiter cum natura divina.

Obj. 4. Filius est Deus vi productionis suae. At non est Deus vi productionis suae, nisi quia filio, ratione cuius producit, est quidditative essentia divina, & consequenter nisi quia filio includit formaliter essentiam divinam. Ergo, &c. *R. neg. min.* Itaque Filius est Deus vi productionis, quia vi productionis est consubstantialis principio producenti. Est autem, vi productionis, consubstantialis termino producenti, quia Filius est per se idem realiter cum substantia producentis.

Obj. 5. Ex Patribus communia includuntur in conceptu propriorum, Ergo essentia includitur in conceptu relationum. *R. neg. conseq.* Nam Patres loquuntur de propriis in concreto, hoc est de personis divinis completè sumptis, quarum qualibet sic sumpta, praeter proprietatem relativam, includit essentiam omnibus communem. *Dices.* Ex Concilio Rhemensis paternitas est deitas. *R.* paternitatem esse deitatem realiter, non formaliter.

Obj. 6. Si paternitas, idem dic de aliis relationibus, praecindit ab essentia divina, essentia divina est in potentia ad paternitatem, & ab illa determinabilis. Falsum conseq. Ergo, &c. *R.* essentiam divinam esse in potentia virtuali ad paternitatem, & ab illa determinabilem virtualiter, in quantum propter virtutem amplitudinem entitatis divinae, essentia & paternitas aequivalent duobus realiter distinctis: quorum unum esset potentia, & alterum actus; unum determinabile, & alterum determinativum.

ARTICULUS V.

Utrum Relationes ad intra sint perfectiones, & aequales sint.

R. Esp. I. Relationes ad intra, etiam formaliter sumptae, & secundum id quod virtualiter superaddunt essentiae divinae, sunt verò, reales & positivae perfectiones.

Prob. Quia Relationes ad intra formaliter sumptae, vel sunt principia quaedam agendi praestantissima, ut paternitas & spiratio activa, vel termini formales, producti à praestantissimis illis principiis, ut filio & spiratio passiva. At principia praestantissimarum productionum, & praestantissimarum illarum productionum termini formales, non possunt non esse maximae perfectiones. Ergo &c. Hinc S. Basilii lib. 2. contra Eunomium dicit, *bonum & pulchrum esse divinae beatitudini Patrem esse.* Et S. Cyrilli lib. 2. Thesauri cap. 1. *non posse esse perfectam deitatem, nisi filium habeat, & fructum ex se pariat.*

Obj. 1. Unica est in Deo perfectio, non plures realiter, Ergo, &c. *R.* in Deo unicam esse realiter perfectionem absolutam, sed esse plures relativas, realiter distinctas & diversas, ut probatum est, & docent Patres. Unde cum dicunt unicam esse in Deo perfectionem, intelligendi sunt de perfectione absoluta.

Obj. 2. Si relationes ad intra sunt perfectiones, est aliqua perfectio in Patre, quae non est in Filio, nempe paternitas. *R.* paternitatem non esse in Filio formaliter; alioqui Filius esset etiam Pater; sed esse aequivalenter, quia filio aequivaleret paternitati, hoc est, tam bona est Filio, quam paternitas Patri. Et verò filia-

Utrum relationes ad intra propriam habeant existentiam.

filiatio in divinis tantam habet excellentiam, quantum habet paternitas: nam & essentialiter idem est realiter cum divinitate, sicut paternitas; & sic est à paternitate, ut tamen ab illa non dependeat, & tam habeat ab intrinseco necessitatem absolutam existendi, quam illa.

Obj. 3. Si relationes ad intra sunt perfectiones, plus perfectionis est in tribus personis simul sumptis, quam in una. *R. dist. seq.* Plus est perfectionis absoluta in tribus personis simul sumptis, quam in una. *N.* Nam unica numero est perfectio absoluta in tribus personis. Plus est perfectionis relativæ, *C. At inquires.* S. Augustinus lib. 6. de Trin. cap. 8. dicit: *Tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Ergo ex S. Augustino, non est plus perfectionis etiam relativæ in tribus personis simul, quam in una. *R. neg. conseq.* Nam S. Augustinus dicit tantum esse solum Patrem, vel solum Filium, vel solum Spiritum sanctum, quantus est Pater, Filius & Spiritus sanctus, quia tantum est perfectionis absoluta, puta potentia, & sapientia, in una persona, quantum in tribus simul.

Obj. 4. Si relationes ad intra sunt perfectiones, Pater, idem dicitur Filio, est perfectior Spiritu sancto: nam Pater duplicem habet relationem, paternitatem scilicet & spirationem activam; & una ex illis, nempe spiratio activa, æqualis est relationi, quam habet Spiritus sanctus, nempe spirationi passiva; proindeque Pater superat Spiritum sanctum paternitate. *R. neg. seq. Ad prob. R.* spirationem passivam æqualem esse paternitati & spirationi activæ simul sumptis, & spirationem passivam tam bonam esse Spiritui sancto, quam paternitas & spiratio activa simul sumptæ, bonæ sunt Patri: unde in divinis tam perfectum est esse spiratum, quam esse patrem & spiratorem. *At inquires.* Si spiratio passiva æqualis est paternitati & spirationi activæ simul sumptis, melior est sola paternitate. *R.* paternitatem & spirationem activam esse unam & eandem entitatem relativam in Patre, cui æqualis est entitas relativa, quæ est in Spiritu sancto, nempe spiratio passiva. Unde sequitur tantum, quod entitas relativa, quæ est in Patre, inadæquate sumpta, ut est paternitas, vel ut est spiratio activa, superetur ab entitate relativa, quæ est in Spiritu sancto. Quod non est inconveniens.

Resp. II. Relationes ad intra non sunt perfectiones simpliciter simplices, sed perfectiones secundum quid tantum: sunt tamen infinitæ in suo genere.

Prob. 1. pars. Quia perfectio simpliciter simplex est, quæ in nullo ente singulari, spectato præcisè ut est ens, repugnat alteri meliori, vel æquæ bonæ; sic ut ens habens talem perfectionem, melius sit quolibet alio eam non habente. Atqui relationes ad intra non sunt tales: nam v. g. paternitas à supposito aliquo divino excludit filiationem æquæ bonam, filiatio paternitatem, &c. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Quia relationes ad intra vel sunt perfectiones simpliciter simplices, vel perfectiones secundum quid tantum. Non primum. Ergo secundum.

Prob. 3. pars. Quia complementa substantialia naturæ debent proportionari naturæ, cujus sunt complementa. Sed natura divina est infinita in ratione naturæ, & relationes ad intra sunt ejus complementa substantialia. Ergo relationes ad intra debent esse, & sunt infinitæ in genere relationum. Ergo paternitas est infinita in genere paternitatis, filiatio in genere filiationis, &c. Præterea, paternitas & spiratio activa sunt principia productiva terminorum immanentium. At perfectio ejusmodi principia non possunt esse finita in Deo. Ergo nec filiatio & spiratio passiva, quæ sunt termini immanentes, correspondentes principii illis infinitis, & infinitè agentibus: cum enim sint principia necessaria, agunt quantum possunt.

R. Esp. Relationes ad intra habent propriam existentiam relativam, virtualiter distinctam ab existentia absoluta naturæ divinæ.

Prob. Quia entitas actualis & existentia convertuntur. Sed relationes ad intra habent entitatem propriam relativam actualem, virtualiter distinctam ab entitate actuali absoluta naturæ divinæ. Ergo, &c. *Prob. min.* Relationes ad intra habent entitatem propriam relativam, virtualiter distinctam ab entitate absoluta naturæ divinæ, ut suo loco probatum. Ergo vel habent actualem, vel merè possibilem. Non secundum. Nam entitas illa est quid divinum, & absolute necessarium. Ergo primum.

Obj. Patres ponunt in Deo unicum esse, seu existere, quibus assentitur D. Thomas pluribus locis. *R.* Patres, & cum illis S. Thomam, ponere unicum esse, seu existere absolutum & communicabile, non unicum esse, seu existere relativum. Sed ex dictis hac sectione.

Collige, in Deo præter entitatem absolutam naturæ divinæ esse tres entitates relativæ inter se realiter distinctas: nam cum relationes ad intra superaddant naturæ divinæ entitates relativæ virtualiter distinctas, & ex eis tres inter se distinguantur realiter, necesse est in Deo præter entitatem absolutam naturæ divinæ agnoscere tres entitates relativæ, realiter inter se distinctas, sed naturæ divinæ identificatas, nempe paternitatem, filiationem, & spirationem passivam, quarum duabus, nempe paternitati & filiationi, identificatur entitas relativa spiratoris. Hinc

1. In Deo præter unitatem, veritatem, & bonitatem transcendentalem absolutam, sunt etiam tres unitates, tres virtutes, & tres bonitates transcendentales relativæ: nam unitas, veritas & bonitas transcendentales sunt affectiones entitatis ab ea inseparabiles. Sed in Deo est una entitas absoluta, cum tribus entitatibus relativis realiter inter se distinctis. Ergo, &c.

2. In Deo, præter unam rem absolutam, sunt etiam tres res relativæ, inter se realiter distinctæ: nam omnis entitas est res. Sed in Deo est una entitas absoluta. Ergo est una res absoluta. Item in Deo sunt etiam tres entitates relativæ, inter se realiter distinctæ. Ergo & tres res relativæ inter se realiter distinctæ.

3. In Deo, præter unam existentiam absolutam, sunt etiam tres existentie relativæ, inter se distinctæ realiter: nam entitas actualis & existentia convertuntur. Sed in Deo est una entitas actualis absoluta cum tribus entitatibus actualibus relativis, realiter inter se distinctis. Ergo, &c. Illæ autem tres existentie relativæ in Deo identificantur existentie absolute.

4. In Deo, præter æternitatem absolutam, sunt etiam tres æternitates relativæ, quia in Deo præter unam existentiam absolutam interminatam, sunt etiam tres existentie relativæ carentes principio & fine. Unde tres personæ sunt tres æterni etiam substantivè, sed cum addito, æternitate relativa. Quod non est contra Symbolum Athanasii, in quo, cum dicitur tres personas non esse tres æternos, sed unum æternum, agitur de æternitate absoluta.

Quæres, utrum etiam in Deo, præter unam essentiam absolutam, sint tres essentie relativæ. *R.* in Deo esse tres essentias relativæ, realiter inter se distinctas, si nomen essentie latè sumitur, & minùs propriè; tunc enim significat quidditatem seu rationem intrinsecam cujuslibet rei, & in Deo sunt tres quidditates relativæ, inter se distinctæ realiter. At in Deo non est nisi una essentia, eaque absoluta, si nomen essentie propriè & strictè sumitur: nam tunc essentia significat id quod est primum in toto substantiali, distinctivum illius ab omni alio, & radix proprietatum ejus: vel si nomen essentie sumitur eo sensu, quo de Deo dicitur à Conciliis: tunc enim

enim significat cumulum omnium perfectionum simpliciter simplicium.

ARTICULUS VII.

Utrum Personæ divine constituantur formaliter per relationes ad intra.

Nota 1. Persona definitur à Boetio libro de duabus naturis, Naturæ rationabilis individua substantia, hoc est, naturæ intelligentis sive dependenter, sive independenter à phantasmatis, substantia singularis, & incommunicabilis alteri, tamquam supposito. Cum hac Boetii definitione coincidit illa recentiorum: Persona est naturæ intellectualis substantia totalis, sive completa: eo ipso enim quod substantia totalis est & completa, est incommunicabilis alteri tamquam supposito. Ex his apparet naturam divinam non esse personam, quia communicari potest & communicatur pluribus suppositis, nempe Patri, & Filio, & Spiritui sancto. E contra Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt personæ, quia quilibet ex illis est intelligentis naturæ substantia incommunicabilis alteri tamquam supposito. Unde in Deo tres sunt personæ, quia in Deo tres sunt naturæ intelligentis substantiæ individuae, & incommunicabiles alteri tamquam supposito: non sunt tamen tres Dii, quia tres illæ substantiæ individuae & incommunicabiles, sunt substantiæ ejusdem naturæ, illis absque ulla sui multiplicatione communis. Itaque unus est Deus, quamvis tres sint personæ divinæ, tria individua, tria supposita; nam omnis persona est suppositum, licet non omne suppositum sit persona, tres hypostases, quia usus Ecclesiæ obtinuit, ut vox hypostasis significet idem ac persona & suppositum.

Nota 2. Cum personæ divinæ sint substantiæ individuae unius & ejusdem naturæ, habent aliquid commune, in quo conveniunt, & aliquid proprium, vi cuius inter se distinguuntur realiter, & incommunicabiles sunt alteri, ut supposito: unde habent aliquid quo materialiter, & aliquid quo formaliter constituuntur; nam quotiescumque commune & proprium in eandem rem conveniunt, res illa dicitur constitui materialiter per commune, & formaliter per proprium. De materiali constitutivo personarum divinarum non est difficultas: cum enim res constituatur materialiter per commune, manifestum est personas divinas constitui materialiter per naturam divinam, quæ illis communis est. Tota ergo difficultas est de formali constitutivo; de quo queritur in quo consistat, an in absoluto, an in relativo: Pro resolutione sit.

Resp. Personæ divinæ constituuntur formaliter per relationes ad intra.

Prob. Idem iudicium esto de aliis personis divinis ac de prima. Sed prima persona constituitur formaliter per relationem ad intra. Ergo &c. **Prob. min.** Nam prima persona constituitur formaliter per aliquid sibi proprium. Sed prima persona nihil habet sibi proprium, nisi relationem ad intra. Ergo, &c. Major patet ex not. 2. **Prob. min.** Quia, ut dicit Florentinum in litteris unionis, *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse patrem.* Ergo Filius habet omnia, quæ sunt in Patre, excepta sola paternitate. Ergo Pater nihil habet proprium, nisi paternitatem. Ergo nihil habet proprium, nisi relationem ad intra. Sicut autem Pater nihil habet proprium, nisi paternitatem; ita Filius nihil habet proprium, nisi filiationem; & Spiritus sanctus nihil habeat proprium, nisi spirationem passivam; nam Pater habet omnia, quæ sunt in Filio, præter esse Filium; item Pater & Filius habent omnia, quæ sunt in Spiritu sancto, præter esse spiritum. Ergo sicut Pater nihil habet proprium præter relationem ad intra; ita & Filius & Spiritus sanctus. Ergo sicut Pater constituitur formaliter per relationem ad intra, nempe per pa-

ternitatem; ita Filius & Spiritus sanctus per relationem ad intra formaliter constituuntur, Filius quidem per filiationem, & Spiritus sanctus per spirationem passivam.

Obj. 1. Persona ut sic, est aliquid absolutum. Ergo necesse est personas divinas constitui formaliter per aliquid absolutum. **R. neg. ant.** Nam persona ut sic, & prout abstrahit à creatà & increatà, neque absoluta est, neque relativa, sed præscindit ab utroque. Dividitur autem in creatam & increatam. Creatà est absoluta, increatà verò relativa. Unde persona ut sic est genus ad personam absolutam & relativam.

Obj. 2. Persona divina est simplex. Ergo non potest constitui. Ergo malè dicitur constitui formaliter per relationem, & materialiter per essentiam. **R. ex ant.** sequi tantum, quod persona divina non possit constitui per compositionem realem constituentium realiter distinctorum. At potest constitui, & constituitur per compositionem virtuale constituentium virtualiter distinctorum, nempe essentia & proprietatis relativa.

Obj. 3. Si personæ divinæ constituuntur formaliter per relationes, non sunt ad se, sed ad alterum. Falsum conseq. alioqui persona Patris est persona Filii, persona Filii est persona Patris, &c. Ergo, &c. **R.** personas divinas adequatè sumptas, esse partim ad se, ratione scilicet essentia, per quam materialiter constituuntur; partim ad alterum, ratione relationum, per quas constituuntur formaliter: ex quo tamen non sequitur, quod Pater debeat dici persona Filii, aut Filius persona Patris, quia hoc redolet hæresim Sabellianam, & aliunde id quod est ad alterum, non semper dicitur illius: sic qui vincitur, refertur ad eum, à quo vincitur; & tamen non dicitur victus illius, sed victus ab illo.

Obj. 4. Relatio creata supponit id quod refert. Ergo etiam relationes divinæ supponunt personas, quas referunt. Ergo non eas constituunt. **R. neg. ant.** de relatione transcendentali: nam v.g. relatio, quæ cognitio refertur ad objectum, non supponit cognitionem: cognitio enim non est prius etiam ratione, quàm sit cognitio; nec est cognitio prius etiam ratione, quàm sit objecti cognitio; & consequenter non est prius etiam ratione, quàm referatur ad objectum. Similiter in divinis, paternitas v.g. non supponit primam personam, quàm refert ad secundam: nam prima persona non est prius etiam ratione, quàm sit Pater, nec est Pater prius etiam ratione, quàm sit Filius pater, & consequenter non est prius etiam ratione, quàm referatur ad Filium. Eodem autem modo ostenditur filiationem & spirationem passivam non supponere secundam & tertiam personam: nam secunda persona non est prius etiam ratione, quàm sit Filius Patris, & tertia persona non est prius etiam ratione, quàm sit Spiratoris Spiritus.

Obj. 5. Pater non constituitur formaliter per paternitatem. Ergo nec Filius per filiationem, aut Spiritus sanctus per spirationem passivam. **Neg. ant. Probabis.** Pater non constituitur formaliter per spirationem activam. Ergo nec per paternitatem. **R. neg. conseq.** Ratio est, quia paternitas soli Patri convenit; unde determinate potest Patrem ad esse personale proprium & incommunicabile: quod est constituere Patrem formaliter. At spiratio activa communis est Patri & Filio; unde non potest concurrere ad constitutionem Patris, nisi materialiter; hoc est, nisi ut aliquid pluribus commune, & virtualiter determinabile per aliud soli Patri conveniens. Propter eandem rationem Filius constituitur formaliter per filiationem, non per spirationem activam, quæ tamen Patrem & Filium constituit formaliter in esse unius spiratoris, distincti à Spiritu sancto.

At inquires. Quidni Pater dicatur constitui formaliter per aliquid absolutum, in quo fundetur paternitas? **R.** nullum aliud esse absolutum, in quo fundetur paternitas, præter essentiam divinam, per quam Pater non potest constitui formaliter. Ex dictis

Etis hæcenus colligi potest facile, quot sint substantiæ
in Deo. Ad plenam hujus quæstionis resolutionem, sit

ARTICULUS VIII.

Quot dentur subsistentia in Deo.

Nota. Subsistentia sumi potest improprie & proprie. Sumpta improprie, idem significat ac personitas, & est virtus existendi per se, hoc est, independenter ab alio, ut subiecto sustentante. Sumpta vero proprie, est complementum substantiale naturam ultimò terminans, eamque reddens incommunicabilem alteri, ut supposito; vel clarius, complementum substantiale constituens cum natura substantiam individuum, totalem, completam, incommunicabilem alteri tanquam supposito. Subsistentia improprie sumpta, est abstractum substantiæ; proprie vero sumpta, est abstractum suppositi; quamquam olim à Patribus, ut observant Vasquez, Petavius, & alii, concretè sumpta fuerit pro supposito, & à nobis interdum accipitur.

Resp. I. Dantur in Deo tres substantiæ relativæ.

Prob. Tot sunt substantiæ relativæ in Deo, quot sunt in eo complementa substantiabilia relativæ, narium divinam ultimò terminantia, ut pater ex not. Sec. in Deo sunt tria ejusmodi complementa. Ergo, &c. *Prob. min.* Quia in Deo tot sunt complementa substantiabilia relativæ, quot sunt in eo substantiæ relativæ, incommunicabiles alteri, ut supposito; ut per se clarum est. Sed in Deo tres sunt substantiæ relativæ, incommunicabiles alteri, ut supposito, nempe Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ergo in Deo sunt tria complementa substantiabilia relativæ. Ergo tres substantiæ relativæ, nempe paternitas, filiaris, & spiratio passiva.

Obj. Præter tres substantias relativas assignatas, est alia quarta, nempe spiratio activa: nam constituit spiratorem incommunicabilem Spiritui sancto. Ergo, &c. *R. neg. ant. Ad prob. R.* spirationem activam non constituit spiratorem incommunicabilem cuilibet alteri, tamquam supposito: nam spirator re ipsa communicatur Patri & Filio tamquam suppositis; unde spirator non est persona à tribus aliis distincta, &c. in Deo sunt tantum tres personæ, quarum duæ primæ sunt spirator, & tertia terminus spiratoris.

Resp. II. In Deo præter subsistentias relativas non datur subsistentia essentialis, absoluta, & communis, si nomen subsistentiæ propriè sumitur.

Prob. Subsistentia propriè sumpta in ente intellectu-
ali, qualis est Deus, idem est ac personalitas, ut faciliè
intelligitur ex supra dictis. At non datur in Deo per-
sonalitas essentialis, absoluta & communis. Ergo, &c.
Prob. min. Quia si esset in Deo personalitas essentialis,
absoluta, & communis, esset in Deo persona
essentialis, absoluta, & communis. At implicat perso-
na communis, pluribus scilicet suppositis; nam perso-
na est naturæ intellectualis substantia incommunicabi-
lis cuilibet alteri, tamquam supposito. Ergo, &c. Di-
xi autem, si nomen subsistentiæ propriè sumitur: nam
si sumitur impropriè, certum est dari in Deo sub-
sistentiam essentialem, absolutam, & communem tribus
personis: nam datur in Deo virtus existendi per se, &
independentem ab omni subiecto sustentante, quæ est
perfectio simpliciter simplex, essentialis, absoluta, &
communis tribus personis.

Obj. Natura divina, & quidem ut virtualiter distincta à personalitatibus divinis, subsistit. Ergo datur in Deo subsistentia essentialis, absoluta, & communis tribus personis. *R. dist. ant.* Natura divina, ut virtualiter distincta à personalitatibus divinis, subsistit subsistentia improprie sumpta, *C. ant.* Nam exiit per se, & independenter à subjecto sustentante. Subsistit subsistentia proprie sumpta, *N. ant.* Nam non existit incommunicabiliter; cum reipsa communicetur tribus suppositis divinis. Unde dist. *conseq.* Ergo datur in Deo subsistentia essentialis, &c. si nomen subsistentiae improprie sumitur, *C. conseq.* Si proprie sumitur, *N. conseq.*

Dices. Subsistere est perfectio simpliciter simplex. Ergo natura divina ut sic habet subsistentiam etiam propriè sumptam. *Ref.* dist. ant. Subsistere est perfectio simpliciter simplex, si subsistere impropriè sumitur, Conc. ant. Nam existere per se & independentè à subjecto sustentante, est perfectio melior ipsa, quàm non ipsa. Si subsistere sumitur propriè, N. ant. Nam existere incommunicabiliter, non est perfectio melior ipsa quàm non ipsa nature, & excluderet à natura divina perfectionem meliorem, nempe communicabilitatem: nam melius est naturam divinam esse communicabilem tribus suppositis divinis, quàm esse incommunicabilem. Unde neg. consequ.

Dices. Datur persona communis tribus personis divinis. Ergo datur subsistentia communis, etiam proprie sumpta. *R.* dist. ant. Datur persona tribus personis communis communitate logica, C. ant. Nam potest per mentem abstracti ratio personæ, univoce prædicabilis de tribus personis. Datur persona tribus personis communis communitate reali & physica, N. ant. Talis enim persona implicat, ut probatum est. Unde neg. conseq.

Dices . Agatho Papa in epist. 2. ad 6. Synodum sic ait : *Confitemur Patrem , Filium , & Spiritum sanctum ; non tres Deos , sed unum Deum ; non trium nominum substantiam , sed trium substantiarum unam substantiam* . R. cum Valquez , & aliis , locum esse mendosum , & legendum esse , *trium substantiarum unam substantiam* , uti re ipsa legitur in emendatioribus codicibus .

S E C T I O II.

De notionibus, aequalitate, circum-infessione, & missionem personarum divinarum.

A R T I C U L U S I

Quid, & quot sint notiones personarum divinarum.

I. **N**otio dividitur in formalem & objectivam. Notio formalis est actus cognoscendi; objectiva verò est objectum ipsum, quod cognoscitur. Utraque notio convenire potest cuilibet rei cognoscibili, & re ipsa convenit, si solum vim vocis attendas. Tamen notio specialiter attribuitur personis divinis, & sumitur pro eo, ex quo cognoscitur una persona, ut distincta ab alia, vel ab aliis. Notio igitur, juxta usum Scholasticorum, est perfectio personalis, seu ratio objectiva per modum formæ significata, unica realiter & individua, per quam una persona distinguitur ab alia. Hinc apud Scholasticos aliud est norio, & aliud actus notionalis: nam actus notionalis idem est ac personæ productio, quæ duplex est, nempe generatio & spiratio.

2. S. Thomas q. 32. a. 3. in O. quinque tantum notiones numerat, innascibilitatem scilicet, paternitatem, filiationem, spirationem activam, & spirationem passivam. Sunt igitur, inquit, quinque notiones in divinis, scilicet innascibilitas, paternitas, filiationis, communis spiratio, & processio. Harum autem tantum quatuor sunt relationes: nam innascibilitas non est relatio, nisi per reductionem. Quatuor autem tantum proprietates sunt: nam communis spiratio non est proprietates, quia convenit duabus personis. Tres autem sunt notiones personales, id est, constituentes personas, scilicet paternitas, filiationis, & processio: nam communis spiratio & innascibilitas dicuntur notiones personarum, non autem personales. S. Thomae communiter assentiuntur Scholastici, nec immerito; quia si forte possunt plures notiones personarum divinarum assignari, saltem, quas Sanctus Doctor enumerat, precipue sunt, & ad eas ceterae facile revocari possunt, atque ad notificationem & distinctionem personarum sufficient.

3. Ex S. Thoma loco laudato ad 4. notio specialem excellentiam & dignitatem importat in persona, quam distinguit. Hinc inspirabilitas in Filio, seu repugnancia

tia processionis per viam voluntatis, & ingenerabilitas in Spiritu sancto, seu repugnantia processionis per viam intellectus, non sunt notiones, quia non important specialem excellentiam in Filio & Spiritu sancto, sicut importat in Patre innascibilitas, seu repugnantia cuiuscumque processionis realis, sive per intellectum, sive per voluntatem. Propter eandem rationem non est specialis notio Spiritus sancti, quod nulla persona ab eo procedat: in hoc enim nulla involvitur specialis dignitas.

ARTICULUS II.

Utrum persone divine sint inter se aequales.

Nota 1. Aequalia dicuntur, quorum quantitas est eadem. Quantitas autem triplex est, nempe quantitas molis, quantitas numeri, & quantitas perfectionis. Prima reperitur in continuis, secunda in discretis, tertia in quibuslibet sive corporeis, sive spiritualibus, sive continuis, sive discretis. Hic autem non agitur de aequalitate fundata in prima, aut secunda quantitate: talem enim aequalitatem non habere locum in Deo, per se clarum est. Agitur itaque tantum de aequalitate fundata in quantitate perfectionis, & de ea quaeritur utrum reperitur inter personas divinas?

Nota 2. Ut aliqua habeant veram & realem aequalitatem inter se, tria requiruntur. 1. Ut sint inter se distinctae realiter: nam quod aequale est, alteri aequale est. 2. Ut habeant quantitatem ejusdem rationis, secundum quam inter se possint comparari; nam v.g. linea non potest dici aequalis angulo propter quantitates disparatas. 3. Ut quantitas illa non sit major in uno, quam in altero: nam sic tantum quantitas est eadem in illis eo modo, qui ad aequalitatem requiritur, & aequalitas est convenientia in quantitate cum negatione excessus. Itaque haec tria ad aequalitatem requiruntur, sed & sufficiunt: nec enim ulterius ad aequalitatem requiritur quantitas realiter multiplex, ita ut quodlibet ex iis, quae inter se aequalia sunt, habeat suam quantitatem realiter distinctam a quantitate aliorum: nam si aequalia dicuntur & sunt, quorum quantitates realiter plures habent identitatem logicam, quatenus sint ejusdem rationis cum negatione excessus: a fortiori aequalia dici possunt & sunt, quorum quantitas est una & eadem realiter, modo realem inter se habeant distinctionem: nam modo perfectissimo habent inter se quantitatem ejusdem rationis, & modo perfectissimo conveniunt in quantitate cum negatione excessus. His praesuppositis, sit

Resp. Personae divinae habent inter se veram & realem aequalitatem. Est de fide.

Prob. 1. Ex Apostolo ad Philip. cap. 2. *Qui (Filius) cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo (Patri)* 2. Ex Symbolo Athanasii: *Totae tres personae coeternae sibi sunt, & coaequales.* 3. Ex Conc. Tolet. 6. *In hac Trinitate tanta est unitas substantiae, ut pluralitate careat, & aequalitatem teneat.* 4. Ex Praefatione Missae de SS. Trinitate: *Ut in essentia unitas, & in personis proprietates, & in maiestate adoretur aequalitas.* 5. denique, ratione, quia aequalia sunt quorum quantitas est eadem. Sed quantitas perfectionis est eadem modo perfectissimo in personis divinis. Ergo, &c. **Prob. min.** Quia illa habent quantitatem eandem, quae habent quantitatem ejusdem rationis cum negatione excessus. Sed tres personae divinae habent modo perfectissimo quantitatem perfectionis ejusdem rationis cum negatione excessus, cum habeant unam & eandem numero quantitatem perfectionis secundum essentiam, & alia attributa absoluta; secundum proprietates vero relativas eandem logicè, quia proprietates relativae sunt ejusdem rationis, & inter se comparabiles cum negatione excessus, & identitate uni tertio. Unde personae divinae sunt inter se perfectissime aequales secundum omnes perfectiones & absolutas & relativas.

Obj. Si personae divinae sunt inter se aequales, sunt etiam similes. Falsum consequ. Ergo, &c. **Prob. min.**

Nam Ariani damnati sunt, quod dicerent Filium esse Patri similem. *R. neg. min.* **Ad prob. R.** Arianos damnatos fuisse, quod dicerent Filium esse tantum similem Patri similitudine inchoata, & adumbrata, qualem habere possunt creatura cum Deo, & negarent esse aequalem & consubstantialem. Nos cum S. Thoma, & aliis Scholasticis, dicimus Filium esse Patri similem, & aequalem: similem quidem, quatenus perfectè convenit cum Patre in perfectione; & ita aequalem, quia convenit absque defectu & excessu. Itaque personae divinae sunt inter se similes vera & perfectè similitudine, & ita sunt etiam aequales, & consubstantiales.

ARTICULUS III.

Utrum detur prioritas & circum-infessio in personis divinis.

R. Esp. 1. In divinis datur vera & realis prioritas originis inter personam producentem & productam.

Prob. Prioritas originis consistit in eo quod unum sit id à quo est alterum, non vicissim; seu in eo quod unum sit principium alterius, non vicissim, seclusa tamen omni prorsus imperfectione & dependentia ab eo, quod est ab alio. Atqui in divinis hoc totum reperitur inter personam producentem & productam. Ergo, &c. Itaque in divinis Pater est prior origine, quam Filius; item Pater & Filius sunt priores origine, quam Spiritus sanctus. Unde Pater est prima persona, Filius secunda, & Spiritus sanctus tertia.

Obj. 1. In Symbolo Athanasii dicitur: *In hac Trinitate nihil prius aut posterius.* Et S. Thomas admittit quidem ordinem originis inter personam producentem & productam: at negat dari inter illas prioritatem & posterioritatem. *R. ad 1.* Symbolum loqui de prioritate & posterioritate durationis, ut patet ex verbis subsequenter: *Sed tota tres personae coeternae sibi sunt.* *R. ad 2.* S. Thomam per ordinem originis intelligere id, quod nos per prioritatem & posterioritatem originis intelligimus. Unde nobis contrarius nos est S. Doctor, nisi voce tenus.

Obj. 2. Pater non potest esse sine generatione activa, nec generatio activa sine Filio. Ergo Pater non est prior Filio. *R. dist. consequ.* Ergo Pater non est prior Filio prioritate durationis & temporis, C. consequ. Nam, ut bene probatur, Filius necessariò existit pro omni instanti, pro quo existit Pater, Pater non est prior Filio prioritate originis, N. consequ. Nam Pater est principium Filii, & non vicissim.

Dices. Pater non est prior natura, quam Filius. Ergo non est prior origine. *R. neg. consequ.* Disparitas est, quia per prius natura, intelligitur id, à quo est aliud cum dependentia; & per prius origine, id praecise, à quo est aliud, & non vicissim. *At inquit,* Pater & Filius sunt simul natura & cognitione; nam relata sunt simul natura & cognitione. Ergo Pater non est prior Filio, etiam prioritate originis. *R. 1.* conced. Patrem & Filium esse simul cognitione, quatenus Pater non potest perfectè cognosci, quin cognoscatur Filius, & vicissim. At, hoc non obstante, Filius est verè à Patre, & non vice versa. *R. 2.* Patrem neque simul esse natura cum Filio, neque priorem aut posteriorem natura. Illud autem, relata sunt simul natura, dictum est non de relatis transcendentalibus, sed de praedicamentalis, quae creduntur simul resultare posito fundamento & termino, sic ut neutrum sit ab altero, & idcirco dicuntur esse simul natura.

Resp. II. Datur circum-infessio in personis divinis.

Prob. II. Circum-infessio est mutua inexistencia unius personae in alia. Atqui quilibet inexistit in altera reciproce. Ergo, &c. **Prob. min. 1.** Ex Scriptura: nam Joan. cap. 14. dicit Filius: *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* 2. Ex Sancto Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 1. *Per hanc unitatem naturarum totus Pater in Filio & Spiritu sancto est, totus Filius in Patre & Spiritu sancto est, totus quoque Spiritus sanctus in Patre & Filio.* Nullus horum extra quemlibet ipsorum est. 3. Ratione: quia

quia in tribus personis est una & eadem numero natura, cui identificantur proprietates relativæ, quibus personæ constituntur. Ergo ubicumque est natura divina, ibi sunt intimè præsentēs Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ergo Pater est in Filio, & Filius in Patre, & uterque in Spiritu sancto, & Spiritus sanctus in utroque.

Obj. Pater non est in Filio. *Neg. Probabis.* Paternitas non est in Filio: nam si paternitas esset in Filio, Filius esset Pater. Ergo, &c. *R. dist. ant.* Paternitas non est in Filio constitutivè, C. ant. Nam alioqui Filius esset Pater. Paternitas non est in Filio præsentialiter, N. ant. & consequ. *At inquires.* Si paternitas esset in Filio, non haberet oppositionem relativam cum illo. *R. dist.* Si paternitas esset in Filio constitutivè, C. Si paternitas esset in Filio præsentialiter tantum, N.

ARTICULUS IV.

Utrum detur missio in divinis.

NOta. Missio dicit duplicem respectum, unum scilicet missi ad mittentem, & alterum missi ad terminum: nam qui mittitur, ab aliquo & ad aliquem terminum mittitur. Potest autem aliquis ab alio mitti quatuor modis. 1. Per imperium, sicut servus mittitur à domino. 2. Per consilium; sic ignarus à sapiente mittitur. 3. Per imperium; sic sagitta mittitur à sagittario. 4. Per productionem; sic flores mittuntur ab arboribus. Tres primi modi dicunt aliquam imperfectionem; quartus verò potest esse absque omni imperfectione. Item potest aliquis ab alio mitti ad terminum, seu ad locum aliquem dupliciter. 1. Ad locum, in quo antea non erat; sic homo ab homine mittitur. 2. Ad locum, in quo quidem jam erat, sed in quo incipit esse novo modo. Primus modus mittendi non potest esse sine imperfectione in missio: secundus verò potest.

Resp. I. Datur missio in divinis.

Prob. Ex Script. Nam Christus sic ait Joan. cap. 8. *Ego ex Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.* Et cap. 14. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Ratio est, quia in divinis unam personam mitti ab alia, nihil aliud est, quam unam ab alia procedere, & in loco in quo jam erat, incipere novo modo esse, novum aliquem effectum in eo operando per volitionem liberam acceptam in radice, & omnipotentiam acceptam formaliter vi processionis. Atqui in divinis una persona procedit ab alia, & in loco, in quo jam erat, incipit esse novo modo, per novum effectum, quem producit per volitionem & omnipotentiam sibi communicatas vi processionis; sicque in divinis una persona habet duplicem respectum, quem importat missio; unum scilicet missi ad eum, à quo mittitur, & alterum ejusdem missi ad terminum, ad quem mittitur. Ergo, &c.

Resp. II. Spiritus sanctus mittitur à Patre & Filio; Filius à solo Patre; Pater à nullo.

Prob. 1. pars. Nam Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, & ita cum novum aliquem effectum in aliquo loco operatur, operatur illum per voluntatem & omnipotentiam sibi communicatas à Patre & Filio. *Prob. 2. pars.* Nam Filius procedit à solo Patre, & ita operatur ad extra per voluntatem & omnipotentiam à solo Patre communicatas. *Prob. 3. pars.* Nam Pater à nullo alio procedit, & ita non operatur ad extra per voluntatem & omnipotentiam ab alio acceptas.

Resp. III. Missio personæ divinæ quandoque visibilis est, quandoque invisibilis.

Prob. Nam missio invisibilis est, quando persona, quæ mittitur, producit effectum internum sine ullo signo sensibili. Sic Spiritus sanctus mittitur invisibiliter, quoties in anima producit gratia sanctificans, nullo signo sensibili hujus gratiæ productio. Missio visibilis est, quando aut producit effectus internus & spiritualis cum aliquo signo sensibili hujus effectus; sic missus fuit visibiliter Spiritus sanctus die Pentecostes; aut ter-

minus, ad quem sit missio, est aliquid sensibile. Sic Filius visibiliter missus est, cum naturam humanam assumpsit.

Resp. IV. Missio in divinis non est æterna, sed temporanea.

Prob. Quia missio personæ divinæ est complexum ex processione æterna, & productione effectus temporanei, vi cuius persona incipit novo modo esse in termino, ad quem mittitur. Sed complexum non est nisi in tempore. Ergo, &c. Hinc illud Gal. cap. 4. *Cum venit plenitudo temporum, misit Deus Filium suum.*

SECTIO III.

De proprietatibus Personarum divinarum in particulari.

ARTICULUS I.

Utrum paternitas sit prima proprietas Patris, & unde illi conveniat.

NOta. Nomen Patris, prout attribuitur Deo, tripliciter sumitur. 1. Latè, pro Deo ut Creatore; in quo sensu nomen Patris commune est tribus personis, sicut nomen & virtus Creatoris, atque ipsa actio creativa. 2. Minus latè, pro Deo ut justificatore, & creaturas intellectuales adoptante. In hoc etiam sensu, nomen Patris commune est tribus personis, sicut nomen justificatoris, & potentia justificandi, atque ipsa actio, qua justificantur, & adoptantur homines & Angeli. 3. Denique strictè & notionaliter, pro principio generativo Filii consubstantialis, hoc est, unius & ejusdem numero naturæ cum suo principio. In hoc sensu nomen Patris proprium est primæ personæ. Sicut autem nomen Patris, prout attribuitur Deo, sumitur tripliciter, ita & paternitas, nempe pro creatione activa, qua Deus est intrinsecè creator; pro justificatione activa, qua Deus est intrinsecè justificator; & pro proprietate relativa, qua prima persona potest generare & generat secundam. De paternitate secundum hanc ultimam acceptionem agitur hic. Potest autem considerari dupliciter, 1. scilicet præcisè, ut est id quo Pater potest generare Filium; & sic concepta, est præcisè vis generandi. 2. Ut est id quo Pater actu generat Filium; & sic concepta, est generatio activa, constituitque Patrem in esse Patris. His præsuppositis, sit

Resp. I. Paternitas est prima proprietas Patris.

Prob. Quia non datur alia proprietas in Patre, quæ sit prior. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam alioqui paternitas non constitueret Patrem, sed supponeret constitutum ab illa alia proprietate priore. Atqui Pater constituitur formaliter per paternitatem, seu per generationem activam: nam Pater, ut docent Concilia, pater est, quia generat filium. Ergo, &c.

Resp. II. Paternitas Patri convenit proximè & immediate, ratione intellectionis necessariæ.

Prob. Nam fecunditates ad intra conveniunt Deo modo perfectissimo, & consequenter conveniunt illi secundum actus vitales immanentes, qui sunt intellectio & volitio. Ergo paternitas convenit Patri vel secundum intellectionem, vel secundum volitionem. Atqui non convenit illi secundum volitionem: nam terminus à Patre productus pertinet ad intellectum; cum sit verbum & sermo Patris. Ergo superest ut paternitas conveniat Patri secundum intellectionem, & quidem secundum intellectionem necessariam, quia convenit ei necessariò.

Confirm. Filius est verbum Patris, & accipit essentiam divinam primò & per se, ut est intellectio. Ergo Filius pertinet ad intellectum, & procedit per viam intellectus. Ergo intellectio proximè fundat fecunditatem generandi Filium. Ergo paternitas, quæ est illa fecunditas, proximè convenit Patri secundum intellectionem.

Obj. 1. Si paternitas proximè convenit Patri secundum intellectionem, & sic fundatur proximè in intellectione, ubicumque est intellectio ibi quoque esse de-

bet

bet paternitas. Falsum conseq. Nam paternitas non est in Filio & Spiritu sancto, in quibus tamen est intellectio. Ergo, &c. *R. neg. conseq. maj.* Nam intellectio, quæ est communis tribus personis, est in aliquibus suppositis, nempe in Filio & Spiritu sancto, quibuscum paternitas habet oppositionem relativam, proindeque in quibus nec debet nec potest esse cum intellectu; in qua fundatur. *Nota.* Quamvis intellectio sit communis tribus personis, non tamen fundat paternitatem, nec exigit esse paternitatem, nisi in una tantum persona, nempe in prima. Unde non reperitur per identitatem, nisi in prima persona; quamvis intellectio, in qua fundatur, reperitur per identitatem in omnibus personis.

Obj. 2. Prius est Pater, quam sit intellectio: nam prius est suppositum, quam sit operatio. Unde illud axioma: *Actiones sunt suppositorum.* Ergo prius est paternitas, quam sit intellectio, & consequenter paternitas non potest fundari in intellectu, nec convenire Patri secundum intellectum. *R. neg. ant. ad prob. R. neg. propositionem universaliter sumptam.* Ad axioma *R. actiones esse suppositorum* denominativè, ex quo nihil sequitur. *Nota.* Sic Pater dicitur intelligere, ut intellectio non conveniat illi quæ pater est, sed quæ Deus; & consequenter, ut intellectio non conveniat illi secundum paternitatem, sed secundum divinitatem, quæ se ipsa formaliter est intellectio omnium intelligibilium: quia autem quæ talis causat virtualiter paternitatem, intellectio, necessaria scilicet, prior est prioritate rationis à quo, quam paternitas & Pater; sic tamen ut Patri pro posteriori rationis à quo existentis, tribuatur denominatio intelligentis, quia actiones sunt suppositorum denominativè, ut dictum est.

ARTICULUS II.

Utrum innascibilitas sit altera proprietas Patris.

R. Esp. Esse innascibilem, seu quod idem est, esse ingentum, est altera proprietas Patris. Ita expressè sentiunt Conc. Toletanum 6. & 11. & Vormaciense, cum Patribus communiter.

Prob. Innascibilitas est negatio omnis processionis realis, non pura, sed privativa secundum genus. Atqui hoc totum Patri, & soli Patri convenit, Ergo, &c. Major continet notionem innascibilitatis. *Prob. min. quoad primam partem.* Nam 1. Pater præter paternitatem habet negationem omnis processionis realis; cum existat sine omni alio principio, à quo procedat realiter. 2. Hæc negatio omnis processionis realis, non est pura, sed privativa secundum genus; cum negatio omnis processionis realis non repugnet Patri, ut est persona divina; alioqui nulla persona divina ab alia procederet realiter; sed ut est talis persona: si cut privatio visus, quam habet talpa, non est pura, sed privativa secundum genus, quia visus non repugnat talpæ, ut est animal: alioqui nullum animal videret; sed quatenus est tale animal. *Prob. 2. pars min.* Nam 1. negatio processionis realis non convenit Filio, neque Spiritui sancto; cum uterque realiter producat. 2. Quamvis negatio omnis processionis realis conveniat essentialiter, quæ est planè improducta realiter; tamen hæc negatio est pura negatio, & nullo modo privativa, quia realis productio repugnat essentialiter secundum omnia attributa ipsius constitutiva; nam omne attributum divinum absolutum est improductibile. Ergo innascibilitas Patri & soli Patri convenit. Quod adhuc facilius probabitur, si per innascibilitatem intelligatur, ut intelligunt multi Scholastici, negatio omnis processionis & communicationis realis; nam talem negationem in Deo soli Patri convenire, nullo negotio intelligetur.

Obj. Innascibilitas illa, quæ Patri attribuitur, vel aliquid positivum, vel saltem aliquid negativum dicit formaliter in Patre. Neutrum dici potest. Ergo, &c. *R. neg. min.* Nam dicit formaliter in Patre negationem, ut patet ex probatione responsionis, sed negationem

fundatam in aliquo positivo, vi cuius Pater nec habet, nec potest habere principium, à quo procedat realiter. Illud autem positivum, in quo fundatur illa negatio, est ipsa paternitas, à qua Pater habet, ut sit principium sine principio. Nam 1. paternitas, quatenus est secunditas generandi, dat Patri ut sit principium. 2. Paternitas, quatenus constituit Patrem in esse proprio personali, realiter distincto & diverso à personis, quæ in Deo producuntur, dat illi ut sit sine principio.

Dices 1. Si innascibilitas dicit formaliter negationem, nullam involvit specialem excellentiam. Falsum conf. alioqui innascibilitas non erit notio. Ergo, &c. *R. neg. seq. maj. R. innascibilitatem non dicere formaliter negationem qualemcumque, puta negationem alicujus debiti aut convenientis in subiecto indigente, qualis est negatio, quam dicit formaliter cæcitas; sed negationem omnis processionis realis in subiecto repugnante cuilibet processionis reali propter plenissimam sufficientiam ad existendum sine principio.* Talis autem negatio involvit specialem quandam dignitatem & excellentiam, ut patet ex terminis.

Dices 2. Si innascibilitas non dicit formaliter nisi negationem fundatam in paternitate, innascibilitas non est notio diversa à paternitate. Conseq. est contra nos. Ergo, &c. *R. neg. seq.* Nam ad distinctionem notionum sufficit, quod res per illas diversimodè exprimitur, & magis declaratur. Ratio autem Patris explicitè exprimit & declarat tantum Patrem esse principium; ratio verò innascibilis ipsum esse sine principio. Unde paternitas & innascibilitas sunt diversæ notiones; quamvis innascibilitas nihil aliud sit formaliter, quam negatio fundata in paternitate.

Dices 3. Pater est principium primum, ex eo quod est innascibilis. Sed to primum supra principium dicit formaliter aliquid positivum. Ergo innascibile dicit formaliter aliquid positivum. *R. neg. min. & dico* to primum supra rationem principii, dicere formaliter negationem tantum, nempe non esse ab alio principio; quæ tamen negatio connotat aliquid positivum, ex quo resultat.

ARTICULUS III.

Utrum Filius sit Verbum, & quomodo.

R. Esp. I. Filius est Verbum.

Prob. Nam dicitur Joan. cap. 1. *In principio erat Verbum. Et Verbum caro factum est.* Igitur persona incarnata est Verbum. Sed persona incarnata est Filius. Ergo Filius est Verbum. Item dicitur epist. 1. Joan. cap. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Igitur secunda persona est Verbum. Sed secunda persona est Filius, Ergo, &c. Itaque Filius & Verbum in divinis significant eandem personam, nempe secundam; non sunt tamen voces synonymæ: nam Filius significat secundam personam, prout est suppositum vivens, procedens à supposito vivente, ut principio conjuncto in similitudinem naturæ, cum secunditate eandem naturam ulterius communicandi; Verbum verò significat eandem personam, ut est aliquid primò & immediatè expressivum eorum, quæ novit persona, à qua producit.

Resp. II. Filius est verbum Patris.

Prob. Verbum est verbum illius, à quo producit. Sed Filius producit à Patre. Ergo Filius est verbum Patris. Hinc Pater producendo Filium, generat & loquitur: generat quidem, quatenus producit personam, quæ vi suæ processionis accipit naturam divinam cum secunditate: loquitur verò, quatenus producit personam, quæ vi suæ processionis est primò & immediatè expressiva eorum, quæ novit ipse Pater. Hinc proprietas relativa Patris non solum est virtus generandi, & generatio activa, sed etiam virtus loquendi, & locutio activa; quia non solum est principium formale proximum, quo Pater generat, sed etiam principium formale proximum, quo loquitur. Hinc etiam proprietas relativa Filii non solum est

est generatio passiva, sed etiam locutio passiva, quia non solum est id quo formaliter producit Filius, sed etiam id quo formaliter producit Verbum.

Resp. 3. Filius est verbum Patris, non essentiale, sed notionale.

Prob. 1. Filius non est verbum essentiale Patris: nam verbum essentiale Patris est illud, quo Pater sibi ipse loquitur, hoc est, illud, quo Pater fit formaliter intelligens. Sed Pater non fit formaliter intelligens per Filium, sed per intellectionem, quæ non producit, & est communis tribus personis. Ergo Filius non est verbum essentiale Patris. 2. Filius est verbum notionale Patris: nam Filius est verbum Patris. Ergo vel essentiale, vel notionale. Atqui non est verbum essentiale. Ergo est notionale. Et verò verbum notionale est illud, quo Pater loquitur alteri. Atqui Pater per Filium loquitur alteri, nempe ipsi Filio. Ergo Filius est verbum notionale Patris.

Confirm. Verbum notionale Patris est illud, quod à Patre productum, est primò & immediatè vi suæ processiois, expressio eorum, quæ novit Pater: nam verbum notionale Patris est illud, quo ipsum producendo Pater alteri loquitur. Atqui Filius est illud, quod à Patre productum, est primò & immediatè, vi suæ processiois, expressio vitalis eorum, quæ novit Pater: nam vi suæ processiois est primò & immediatè intellectio Patris, quatenus vi suæ processiois primò & immediatè accipit naturam, ut est intellectio, quia procedit per viam intellectus. Ergo Filius est verbum notionale Patris; & consequenter Pater producendo Filium, per ipsum Filium loquitur, non sibi, sed alteri. Quæ ut melius intelligas

Nota. Pater loquitur verbum ut objectum; loquitur verbum ut terminum locutione productum; loquitur per verbum; loquitur verbo. 1. Loquitur verbum ut objectum; sicut & essentiam, se ipsum, Spiritum sanctum, & possibilia, quatenus producendo verbum, primò & per se manifestat essentiam divinam, tres personas, & possibilia, quia communicat essentiam divinam primò & immediatè ut est intelligentia sui, trium personarum, & possibilia. 2. Loquitur verbum, ut terminum locutione productum, hoc est, verè & realiter producit verbum. 3. Loquitur per verbum, quia, cum verbum vi suæ processiois sit primò & immediatè manifestatio eorum, quæ novit Pater, Pater producendo verbum, primò & immediatè manifestat ea, quæ novit. 4. Loquitur ipsi verbo, quia producendo verbum, communicat illi primò & immediatè intellectionem suam, & sic communicando, primò & immediatè manifestat illi ea quæ scit. Pater autem loquitur verbo, ut alteri personæ, quia verbum est persona altera, & realiter distincta à persona Patris.

Resp. 4. Solus Filius est verbum notionale Patris.

Prob. Nam Spiritus sanctus non est verbum notionale Patris. Ergo solus Filius. *Conf. pater.* *Prob. ant.* Nam Spiritus sanctus procedit per viam voluntatis, non per viam intellectus. Ergo identificatur vi suæ processiois primò & immediatè essentia divinæ, ut est amor, non ut est intelligentia. Ergo non est vi suæ processiois primò & immediatè intelligentia, & consequenter non est vi suæ processiois primò & immediatè expressio vitalis eorum, quæ Pater novit. Eadem ratione probatur Spiritum sanctum non esse verbum notionale Filii. Potest tamen Spiritus sanctus latè & improprie dici verbum Patris & Filii, in quantum à Patre & Filio accipit naturam divinam consecutivè ut est intelligentia. Hinc illud S. Basilii lib. 5. contra Eunomium: *Dei quidem verbum est Filius: verbum autem Filii Spiritus.* Ex his,

Argue, 1. Patrem propriè & strictè loqui soli Filio: nam soli Filio communicat essentiam divinam primò & immediatè, ut est intelligentia, & consequenter soli Filio communicat essentiam divinam primò & immediatè, ut est expressio vitalis eorum, quæ ipse novit. Hinc solus Filius propriè & strictè audit à Patre, quia solus Filius accipit à Patre

Simonet Theol. Tom. 1.

essentiam divinam primò & immediatè, ut est intelligentia, & consequenter ut est vitalis expressio eorum, quæ Pater novit. 2. Patrem & Filium improprie & latè loqui Spiritui sancto: nam Pater & Filius communicant Spiritui sancto essentiam divinam consecutivè ut est intelligentia, & consequenter ut est expressio vitalis eorum, quæ novit Pater & Filius. Hinc Spiritus sanctus improprie & latè audit à Patre & Filio, accipiendo ab illis essentiam divinam consecutivè ut est intelligentia, & consequenter ut est expressio vitalis eorum, quæ novit Pater & Filius.

Resp. 5. Solus Filius in divinis est propriè & strictè Verbum.

Prob. Nam in divinis solum verbum notionale est propriè & strictè Verbum. Sed in divinis solus Filius est verbum notionale. Ergo solus Filius in divinis est propriè & strictè verbum. *Confirm.* Quia duplex omnino est in Deo verbum, nempe essentiale & notionale. Sed verbum essentiale non est propriè & strictè verbum. Ergo solum verbum notionale est propriè & strictè verbum, & consequenter solus Filius est propriè & strictè verbum. Quod ut adhuc melius intelligas,

Nota. Sicut in Deo duplex est verbum, unum essentiale, & alterum notionale; ita etiam in homine verbum duplex est, unum internum, & alterum externum. Internum est intellectio, qua homo constituitur formaliter intelligens; externum verò sunt voces externæ, quibus homo manifestat alteri intellectionem suam: internum respondet essentiali & absoluto; externum verò notionali: cum hoc discrimine, quod verbum internum hominis sit accidens realiter distinctum ab intellectu, ut docent Peripatetici, vel saltem modus animæ incipiens & desinens esse; & externum consistat in sonis ex instituto hominum significantibus: verbum verò absolutum & essentialiter in Deo sit pura modificatio essentia divinæ æterna & invariabilis; & notionale sit persona consubstantialis personæ loquenti. Itaque sicut in homine verbum propriè & strictè dictum, non est verbum internum, sed externum: homo enim propriè & strictè loquitur, non cum sibi, sed cum alteri loquitur: ita verbum propriè & strictè dictum in Deo, non est verbum absolutum & essentiale, sed notionale. Quod manifestè videntur Scripturæ perpetuò supponere, quando secundam personam verbum nominant. Hinc verbum propriè & strictè dictum in divinis, est nomen personale, Filio proprium. Hinc solus Pater in divinis propriè & strictè loquitur. Sed

Dices. Scriptura tribuit toti Trinitati verbum, & dicere, ut Psal. 33. *Verbo Domini celi firmati sunt. . . Ipse dixit, & facta sunt.* Item Scriptura dicit personas divinas sibi mutuo loqui: nam Gen. c. 1. legitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Item in Scriptura dicitur Filium loqui ea, quæ audit à Patre, & Spiritum sanctum ea loqui, quæ audit à Patre & Filio. *R. ad 1.* ibi verbum dici & sumi figuratè pro efficaci decreto divinæ voluntatis. *R. ad 2.* ibi Scripturam significare tantum tres personas operationes omnes externas decernere uno & eodem actu voluntatis, eis communi. *R. ad 3.* Scripturam loqui de verbo externo creato, à tribus personis producto, quamvis uni personæ specialiter attributo; quod verbum duplex est: unum vocale, consistens in vocibus externis, quale est illud, Matth. cap. 17. *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite:* alterum mentale, consistens in intellectione, ad quam Deus determinat intellectum hominis, cui aliquid revelatur. At hic loquimur de verbo, quod est in Deo.

ARTICULUS IV.

Utrum Filius sit imago Patris, & quomodo.

Nota. Ex D. Thoma qu. 35. art. 1. in O. ad rationem imaginis duo requiruntur. 1. Similitudo in natura specifica, quod, ut ait S. Thomas, in rebus corporeis maxime videtur esse figura. 2. Ut procedat aliquo modo ab eo, cujus dicitur imago. Dico, aliquo modo: non enim necesse est, ut imago semper procedat ab eo, cujus est imago, tanquam à principio productivo; sed sufficit, ut procedat ab eo, vel ut principio productivo, sicut Filius procedit à Patre; vel ut causa exemplari, ut pictura procedit à suo prototypo; vel ut determinante & aliquo modo concurrente, sicut cognitio procedit ab objecto per se vel per sui speciem determinante intellectum ad cognitionem. Hinc triplex est imago, naturalis scilicet, artificialis, & intentionalis. Sic Filius est imago naturalis Patris, pictura est imago artificialis sui prototypi, & cognitio est imago intentionalis objecti, à quo, ut aliquo modo ad eam concurrente, & intellectum determinante, procedit. His prænotatis, sit

Resp. 1. Filius est imago Patris.

Prob. 1. Ex Scriptura: nam dicitur epist. ad Coloss. c. 1. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creature.* Et epist. ad Hebræos c. 1. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Scripturam sequuntur Patres, ut videre est apud Valerium, Peravianum, & alios. Unus sit hic pro omnibus Patribus Athanasius, in epist. de decretis Nicænæ Synodi: *Quando quidem, inquit, unus est Deus, necessarium est quoque esse unam Dei imaginem, qui ipsius est Filius.*

Prob. 2. Ratione: nam re ipsa Filius est imago Patris, & naturalis, & intentionalis. 1. Est imago naturalis Patris: nam in creatis filius est imago naturalis Patris, quia ab eo procedit, & vi processionis, accipit ab eo eandem speciem naturam, quam habet ipse pater, cum fecunditate naturam illam ulterius communicandi. Ergo etiam in divinis Filius est imago naturalis patris; cum ab eo procedat, & vi processionis accipiat eandem etiam numero naturam, quam habet Pater ipse, cum proxima fecunditate naturam illam communicandi alteri supposito. 2. Filius est imago intentionalis Patris: nam in creatis cognitio objecti est imago intentionalis ejus, quia procedit ab eo aliquo modo, nempe ut à determinante intellectum, vel per se, vel per sui speciem, & insuper est intentionalis expressio illius. Ergo à fortiori in divinis Filius est intentionalis imago Patris, quia procedit à Patre, ut principio productivo, & vi processionis est primò & immediatè perfectissima intellectio Patris, & consequenter primò & immediatè ipsius perfectissima expressio intentionalis.

Obj. Ad rationem imaginis requiritur, ut id quod dicitur imago, sit simile ei, cujus dicitur esse imago. Sed in divinis Pater & Filius non sunt similes. Ergo in divinis Filius non potest esse imago Patris. **Neg. min. Probabilis.** In divinis Pater & Filius habent unam & eandem numero naturam. Ergo nec sunt, nec possunt esse inter se similes. **R. neg. conf.** Nam ad similitudinem duo tantum requiruntur, nempe distinctio realis duorum, & eorundem convenientia in aliqua forma vel quasi forma; sive hæc forma vel quasi forma sit in eis una & eadem numero, sive non. Sic v. gr. duo parietes albi essent adhuc inter se verè & propriè similes, quamvis haberent unam & eandem numero albedinem. Itaque identitas essentiæ divinæ in Patre & Filio non officit eorum similitudini, sed solum remover ab eis imperfectionem, quacumque similitudo reperitur in creatis: neque impedit ne Filius sit verè & propriè similis Patri, sed solum impedit ne sit tantum similis: Filius enim propter illam identitatem non solum perfectissimè similis est Patri, sed etiam consubstantialis.

Resp. 2. Filius est imago solius Patris.

Prob. Nam si non est imago solius Patris, vel est etiam imago essentiæ, vel sui, vel Spiritus sancti, vel possibilem. At nihil horum dici potest. Ergo, &c. **Prob. min.** Nam ad rationem imaginis requiritur processio realis. At si Filius non procedit realiter ab essentiæ, aut à se, aut à Spiritu sancto, aut à possibilem. Ergo Filius non est imago etiam intentionalis essentiæ, aut sui, aut Spiritus sancti, aut possibilem; quamvis vi suæ processionis sit primò & immediatè perfectissima expressio intentionalis illorum omnium, quia hoc non sufficit ad rationem imaginis.

Dices. Filius in Scriptura dicitur imago Dei. Item dicitur figura substantiæ Patris. **R. ad 1.** to Dei supponere pro prima persona. **R. ad 2.** sensum esse, quod Filius sit expressa, & quasi insculpta imago Patris, per se primò essentialiter ejus perfectissimè exprimens.

Resp. 3. In divinis solus Filius est imago.

Prob. Nam 1. neque divinitas, neque Pater est imago; cum neque divinitas, neque Pater ab alio procedat realiter. 2. Spiritus sanctus non est imago: nam si est imago, est imago Patris & Filii, cum ab utroque procedat realiter. At hoc non: nam neque est imago naturalis, cum non accipiat cum natura fecunditatem eam ulterius communicandi: quod tamen requiritur ad imaginem naturalem, ut constet ex supra dictis: neque imago intentionalis; cum enim non sit per se primò intentionalis expressio illorum, & consequenter non est illorum imago, quia imago intentionalis alicujus est per se primò intentionalis expressio illius ut objecti.

Potest tamen Spiritus sanctus dici latè, 1. imago naturalis Patris & Filii, in quantum ab iis procedit realiter, & vi hujus processionis accipit ab iis eandem planè naturam & essentiæ, quam habent. 2. Imago intentionalis Patris & Filii, in quantum procedit ab eis realiter, & vi processionis accipit ab eis consecutivè essentiæ, ut est intellectio eorum velut objectorum; & sic vi suæ ab eis processionis, est consecutivè eorum intentionalis representatio. Hinc Patres Græci appellant Spiritum sanctum imaginem Filii.

Quæres. Utrum Filius sit sapientia Patris. **R.** Filium esse sapientiam Patris, non essentialiter, quia Pater non constituitur formaliter sapiens per Filium: sed notionalem, quia sic à Patre procedit, ut ab eo accipiat naturam divinam primò & immediatè sub ratione sapientiæ.

ARTICULUS V.

Utrum Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, tanquam ab uno principio.

Nota. Una & eadem numero est relatio spiratoris, seu quod idem est, virtus spirandi in Patre & Filio, ut satis constat ex dictis; unde unicum est & idem in Patre & Filio principium formale proximum processionis Spiritus sancti. Quod saltem evincitur ex definitionibus Conciliorum, Lugdunensis scilicet, & Florentini, de quibus modò. Quo præsupposito, quaeritur utrum Pater & Filius sint etiam dicendi unum & idem spirandi principium quod: negat Durandus, affirmant vero communiter Theologi, cum quibus sit

RESPONSIO.

Pater & Filius sunt unum & idem principium quod spirandi Spiritum sanctum.

Probatur. Authoritate Conciliorum, & 1. quidem Concilii Lugdunensis secundi generalis, sic dicentis can. 1. *Fideli ac devota professione fateamur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno, non duabus spirationibus, sed una spiratione procedit. Hoc professus est hæcenus, predicavit & docuit sancta Romana Ec-*

na Ecclesia, mater omnium fidelium, & magistra. Hoc habet orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabiles præmissæ ignorantiam veritatis, in errores varios sunt prolapsi; nos huiusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes, qui negare præsumperint æternaliter Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere, si ve etiam ausu temerario asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio tanquam ex duobus principis, non tanquam ex uno procedat.

2. Autoritate Concilii Florentini in litteris sanctæ unionis, ubi sic loquitur summus Pontifex: In nomine igitur sanctæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, hoc sacro universali approbante Florentino Concilio definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, scilicet omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, summeque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit. Concilium addo S. Augustinum lib. 5. de Trin. cap. 14. ita loquentem: Fatendum est Patrem & Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia. Sed sicut Pater & Filius unus Deus, & ad creaturam relativè unus creator, & unus Dominus, sic relativè ad Spiritum sanctum unum principium. Cum autem Concilia cum S. Augustino simpliciter affirmant Patrem & Filium esse unum principium Spiritus sancti, perfectò intelligenda sunt non solum de principio quo, sed etiam de principio quod Spiritus sancti.

Itaque sicut Pater, Filius & Spiritus sanctus per unam & eandem omnipotentiam indivisibiliter operantur ad extra; ita Pater & Filius per unam & eandem spirationem activam producant Spiritum sanctum; & sicut Pater, Filius & Spiritus sanctus per unam & eandem omnipotentiam constituuntur in esse unius omnipotentis, ita Pater & Filius per unam & eandem spirationem activam constituuntur in esse unius spiratoris, seu, quod idem est, in esse unius principii quod producendi Spiritum sanctum.

Obj. 1. Pater & Filius sunt duo spirantes. Ergo sunt etiam duo Spiratores. Ergo non sunt unum & idem principium quod Spiritus sancti. R. conced. ant. Neg. conf. 1. & 2. Igitur Pater & Filius sunt duo spirantes; quia nomina adjectiva multiplicantur pro multiplicitate suppositorum. At sunt unus tantum & idem spirator, seu principium quod Spiritus sancti, quia nomina substantiva non multiplicantur nisi multiplicato formali significato. At formale significatum spiratoris est virtus spirandi, quæ cum sit una & eadem in Patre & Filio, non magis facit duos spiratores, quam essentia divina, quæ una & eadem est in tribus personis, faciat tres Deos.

At inquit. S. Hilarius lib. 1. de Trin. dicit Spiritum sanctum esse à Patre & Filio authoribus. Igitur ex S. Hilario, non solum sunt duo spirantes, sed etiam duo spiratores. R. cum S. Thomas hic q. 36. ar. 4. ad 7. S. Hilarium sumere to authoribus adjectivè, non substantivè. Exponendum est, inquit S. Doctor, quod ponitur substantivum pro adjectivo.

Obj. 2. Spirator supponit pro supposito habente virtutem spirandi. Ergo, cum sint duo supposita habentia virtutem spirandi, duos esse spiratores necesse est. R. li, spirator, supponere pro supposito habente virtutem spirandi, ut pro materiali, non formali significato: nam formale significatum huius vocis, spirator, est virtus spirandi; materiale verò, suppositum habens virtutem spirandi. Quia autem, ut modò dictum est, & ut ait S. Thomas ar. laudato ad 7. adjectiva nomina habent numerum secundum supposita, substantiva verò à se ipsis secundum formam significatam; & unica est virtus spirandi, unicus est spirator, licet sint duo supposita habentia virtutem spirandi. Sed ad solutionem plurimarum difficultatum,

Adverte diligenter, Duo sunt significata huius vocis. Simonet Theol. Tom. 1.

cis, spirator: unum formale, alterum materiale. Formale est ea forma, aut quasi forma quam significat, nempe virtus spirandi: materiale verò est subiectum, aut quasi subiectum, quod significat, nempe suppositum habens virtutem spirandi. Sic autem significat rationem suppositi, ut præcindat ab hoc vel illo supposito in particulari, ab uno vel duobus suppositis: unde supponere potest & supponit modò pro duobus suppositis, modò pro uno tantum, modò pro duobus & uno: hinc verè sunt hæ propositiones: Pater & Filius sunt spirator: Pater est spirator: Filius est spirator: Pater & Filius sunt spiratores, qui est Pater: Pater & Filius sunt spiratores, qui est Filius: sicut verè sunt hæ propositiones: Pater & Filius sunt Deus: Pater est Deus: Filius est Deus: Pater & Filius sunt Deus, qui est Pater, &c. quia li Deus, supponere potest & supponit modò pro pluribus suppositis, modò pro uno tantum, modò pro pluribus simul & uno; eo quod habeat pro materiali significato rationem suppositi, præcindendo ab hoc vel illo supposito in particulari, ab uno vel pluribus suppositis. Sed

Adverte iterum. Quoniam ex usu recepto apud Scholasticos, ut jam dictum est, nomina adjectiva unitatem suam accipiant à supposito, substantiva verò à significato formali; voces significantive unitatis aut identitatis, additæ nominibus adjectivis, determinant suppositum; additæ verò nominibus substantivis, determinant tantum formale significatum. Hinc verè sunt hæ propositiones: Pater & Filius sunt unus spirator: Pater & Filius sunt hic spirator: sensus enim earum est: Pater & Filius sunt supposita unius & ejusdem virtutis spirandi: Pater & Filius sunt supposita huius virtutis spirandi. Contra verò falsæ sunt hæ propositiones: Pater & Filius sunt unus spirans: Pater & Filius sunt hic spirans: nam sensus earum est: Pater & Filius sunt unum & idem suppositum, sunt hoc suppositum, quod spirat. Porro ex dictis facillè intelliges, quare verè sint hæ propositiones: Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt unus Deus, sunt idem Deus, sunt hic Deus: sensus enim earum est: Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt supposita unius divinitatis, ejusdem, huius divinitatis.

Obj. 3. Filius non est similior Patri, quam Spiritus sanctus, Atqui Pater & Spiritus sanctus non sunt unum principium quod. Ergo nec Pater & Filius. R. neg. maj. Filius enim secundus est, sanctus verò Spiritus non; & ita Filius magis convenit cum Patre, quam Spiritus sanctus. Propter maiorem autem illam convenientiam Filius est Filius, imago naturalis Patris, & unum principium quod cum Patre.

Obj. 4. Si Pater & Filius sunt unum principium quod propter unicam virtutem spirandi, Pater est duplex principium quod propter duplicem virtutem, unam scilicet generandi, & alteram spirandi. Absurdum conseq. Ergo, &c. R. neg. seq. maj. Ratio negandi est, quia, ut sit unicum principium quod, sufficit ut sit unicum formale significatum principii quod. At ut sit duplex principium quod, requiritur non solum duplex formale significatum, sed etiam duplex suppositum, ut satis constat ex dictis aliis de principio quod, Nobiscum autem sentit D. Thomas ar. laud. ad 2.

Obj. 5. Spiritus sanctus procedit ut amor reciprocus duorum reciproce amantium. Ergo procedit à duobus ut duobus principis. Ergo Pater & Filius non sunt unum, sed duo principia Spiritus sancti. R. dist. ant. Spiritus sanctus procedit ut amor reciprocus duorum reciproce amantium, & spirantium duplici virtute spirandi, N. ant. Et spirantium una & eadem virtute spirandi, C. ant. Unde Spiritus sanctus procedit à duobus, ut uno & eodem spiratore. Unicus itaque est spirator, licet sint duo spirantes, imò & conspiratores, quia ly conspirator, adjectivè semper sumitur.

Quæres 1. Utrum Spiritus sanctus procedat immediate à Patre & Filio?

R. 1. Spiritum sanctum non procedere immediate à Patre & Filio.

Patre & Filio secundum rationem propriam Patris & Filii: Nam ratio propria Patris & Filii, nempe paternitas & filiation, virtualiter & logicè distinguuntur à virtute spirandi, & ita actio spirandi non est immediatè à ratione propria Patris & Filii, sed mediatè tantum, in quantum virtutem spirandi, à qua est immediatè actio spirandi, sibi essentialiter identificant, & exigunt esse in eo supposito, in quo sunt.

R. 2. Spiritum sanctum immediatè procedere à Patre & Filio secundum rationes spiratoris: nam ratio spiratoris, seu virtus spirandi, virtualiter & logicè distincta à paternitate & filiatione, est principium quo proximum & immediatum processionis Spiritus sancti. Igitur actio spirandi est immediatè à ratione spiratoris. Igitur Spiritus sanctus procedit immediatè à Patre & Filio secundum rationem spiratoris. Ex his Spiritus sanctus non opponitur immediatè Patri & Filio, ut sunt Pater & Filius, sed ut sunt unus & idem spirator.

Quæres 2. Utrum Spiritus sanctus procedat æquè immediatè à Patre & Filio?

R. Spiritum sanctum æquè immediatè immediatione virtutis & suppositi procedere à Patre & Filio, ita tamen ut etiam procedat mediatè à Patre. 1. Procedit æquè immediatè immediatione virtutis; siquidem una & eadem est virtus spirandi in Patre & Filio; & sic virtus unius non mediat inter virtutem alterius. 2. Procedit æquè immediatè immediatione suppositi; siquidem Pater & Filius sunt unum & idem principium quod Spiritus sancti, & spirant una & eadem spiratione activa, & sic unum suppositum non mediat inter alterum. 3. Tamen procedit etiam mediatè à Patre, si quidem procedit à Filio, qui procedit à Patre, & ab eo accipit virtutem spirandi. Hinc Patres Græci dixerunt Spiritum sanctum procedere ex Patre per Filium.

ARTICULUS VI.

Utrum Spiritus sanctus per se requirat duas personas spirantes.

NOta. Duplex est sententia. Prima est Scori, Durandi, & aliquorum aliorum, qui dicunt multitudinem suppositorum se habere per accidens ad productionem Spiritus sancti, ita ut si virtus spirandi esset in una persona tantum, puta in Filio tantum, adhuc produceret Spiritum sanctum, & quidem eundem qui nunc est. Sicut trinitas personarum se habet per accidens ad productionem creaturatum, quia si per impossibile esset unica persona in Deo, sicut est unica essentia, adhuc per omnipotentiam quam haberet, valeret ad producendas easdem creaturas. Secunda sententia est S. Thomæ, Suarez, Valquis, & aliorum quamplurimorum, & docet multitudinem suppositorum per se requiri ad productionem Spiritus sancti, ita ut productio Spiritus sancti per se & ex propria ratione formali requirat duo supposita ex parte principii, & duo supposita per se conferant ad productionem Spiritus sancti, sic ut si per impossibile unica persona spiraret, non esset idem, qui nunc, Spiritus sanctus. Cum his sit

PROPOSITIO.

Spiritus sanctus per se requirit duas personas spirantes. Ita S. Thomas.

Prob. 1. Spiritus sanctus per se est amor notionalis mutui duorum se mutuo amantium. Atqui in tantum Spiritus sanctus est amor notionalis mutui duorum se mutuo amantium, in quantum procedit à duobus, & vi processionis accipit ab illis primò & immediatè amorem, quo se mutuo diligunt. Ergo Spiritus sanctus per se producitur à duobus, à quibus vi processionis accipit primò & immediatè amorem, quo se mutuo diligunt; ac proinde per se requirit duas personas spirantes. Prob. maj. 1. Autoritate S. Augustini tract. 105, in Joannem, ubi sic habet: Spiritus

sanctus intelligitur, quia spiritus est Patris & Filii, tanquam charitas substantialis, & consubstantialis amorum. 2. Concilii Tolet. 11, in confessione fidei sic dicentis: Simul ab utrisque (Spiritus sanctus) processisse monstratur: quia charitas sive sanctitas amorum agnoscitur. 3. S. Thomæ hic q. 36, ar. 4, ad 1. Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, ut sunt plures, inquit; procedit enim ab eis ut amor unitivus duorum. Quibus verbis, ut liquet, breviter rationem allatam complectitur.

Prob. min. Quia Spiritus sanctus non potest aliter esse amor personalis mutui duorum se mutuo amantium. Sicut ergo Filius est intellectio notionalis Patris, quatenus procedit à Patre, & vi processionis ab eo accipit primò & immediatè intellectionem qua ipse Pater est formaliter intelligens; ita Spiritus sanctus est amor notionalis Patris & Filii, quatenus procedit à Patre & Filio, & vi suæ processionis accipit ab illis primò & immediatè amorem quo se mutuo diligunt.

Prob. 2. Spiritus sanctus per se refertur ad Patrem & Filium: nam, ut ait Conc. Tolet. 11, in confessione fidei: Spiritus sanctus non est ad se, sed ad Patrem & Filium relative refertur, in eo quod Spiritus Patris & Filii predicatur. Ergo Spiritus sanctus per se opponitur relativè Patri & Filio. Ergo Spiritus sanctus per se procedit à Patre & Filio. Ergo Spiritus sanctus per se procedit à duabus personis. Ergo Spiritus sanctus per se requirit duas personas, à quibus spiretur.

Confirm. Quia Spiritus sanctus est persona per se, & non per accidens, distincta à Patre & Filio. Sed in tantum distinguitur à Patre & Filio, in quantum ad illos refertur; & sic eis relativè opponitur. Ergo per se, & non per accidens, refertur ad Patrem & Filium. Sed in Deo oppositio relativa fundatur in processione unius ab alio. Ergo si Spiritus sanctus per se opponitur relativè Patri & Filio, per se procedit ab illis. Atqui eo modo requirit procedere à duabus personis, quo revera procedit à duabus personis. Ergo si Spiritus sanctus per se procedit à duabus personis, per se requirit procedere à duabus personis.

Obj. 1. Non potest dici, nec intelligi quomodo Spiritus sanctus per se & non per accidens exigat procedere, & procedat à duabus personis. Ergo gratis dicitur, &c. R. n. ant. Itaque Spiritus sanctus per se & non per accidens exigit esse, & est à duabus personis, immediatè quidem ut sunt unus spirator, & mediatè ut sunt Pater & Filius, in quantum essentialiter exigit esse & est à virtute spirandi, ut principio quo proximo & immediato suæ processionis, non qualibet, sed essentialiter identificata paternitati & filiationi; sic ut si impossibilis esset virtus spirandi identificata paternitati & filiationi, impossibilis quoque esset Spiritus sanctus, qui nunc est.

Porro sicut Spiritus sanctus per se exigit procedere & procedit à Patre & Filio, ita Pater & Filius per se exigunt producere & produunt Spiritum sanctum, immediatè scilicet, ut sunt unus spirator, & mediatè ut sunt Pater & Filius; in quantum essentialiter exigunt habere & habent ratione paternitatis & filiationis, virtutem illam spirandi, quæ sola sufficit ad productionem Spiritus sancti: nam de ratione Patris est dare, & de ratione Filii accipere fecunditatem spirandi Spiritum sanctum, ut constat ex dictis aliis; ac proinde de ratione utriusque est, & quidem ut sunt Pater & Filius, habere virtutem illam spirandi, quæ essentialiter requiritur ad productionem Spiritus sancti.

Obj. 2. Si per impossibile virtus spirandi esset in solo Filio v. g. adhuc procederet idem Spiritus sanctus. Ergo Spiritus sanctus non requirit per se duas personas spirantes, sed tantum per accidens, eo quod virtus spirandi, propter carentiam relativæ oppositionis præcisæ, identificetur duabus personis. R. neg. seq. ant. Itaque si per impossibile virtus spirandi esset in solo Filio, 1. Prima persona non esset eadem quæ nunc, & quæ essentialiter exigit producere tertiam mediatè & immediatè, modo explicato. 2. Secunda persona non esset eadem quæ nunc, & quæ accipit essentialiter à pri-

à prima fecunditatem spirandi, quam habet prima. 3. Non esset eadem virtus spirandi quæ nunc, & quæ essentialiter identificatur duabus personis, quarum una est Pater, & altera Filius. 4. Non esset eadem tertia persona quæ nunc, & quæ essentialiter procedit à duabus personis. 5. Non esset eadem essentia quæ nunc, & quæ per se ac necessariò exigat fecunditatem spirandi identificatam Patri & Filio, ipsaque identificatur per se & essentialiter tribus personis, quarum secunda à prima, & tertia à prima & secunda per se procedit.

Obj. 3. Tota & integra virtus spirandi Spiritum sanctum, æquè reperitur in Patre & Filio seorsim, ac in utroque simul. Ergo dualitas personarum se habet per accidens ad productionem Spiritus sancti, nec requiritur ad hanc productionem nisi per accidens, eo quod revera virtus producendi Spiritum sanctum communis sit duabus personis. *R. neg. conf.* Itaque tota & integra virtus producendi Spiritum sanctum, æquè reperitur in Patre & Filio seorsim, quàm in utroque simul; ac essentialiter identificatur utrique, non solum quia non habet cum illis oppositionem relativam, sed etiam quia est virtus producendi Spiritum sanctum, ut jam dictum est; & si alterutri non identificaretur, eo ipso non valeret ad productionem Spiritus sancti, quia virtus producendi Spiritum sanctum, qui nunc est, & qui solus possibilis est, ut talis virtus, est essentialiter duorum suppositorum, Patris scilicet & Filii. Itaque dualitas personarum per se requiritur ad productionem Spiritus sancti, & non tantum per accidens.

Obj. 4. Si Spiritus sanctus per se requirit duas personas spirantes, qualibet è duabus personis non est principium completum & perfectum Spiritus sanctus, sed tantum partiale & imperfectum. Falsum conf. Ergo, &c. *R. neg. seq. maj.* Nam quilibet è duabus personis habet totam & integram virtutem spirandi; si quidem in duabus personis una est & eadem planè virtus spirandi. *Probabis tamen seq. maj.* Quia si Spiritus sanctus per se requirit duas personas spirantes, una indiget altera ad producendum Spiritum sanctum. Ergo, &c. *R. neg. seq.* Nam ex eo quod Spiritus sanctus per se requirit duas personas spirantes, sequitur tantum esse connexionem & exigentiam mutuam inter Patrem & Filium in ordine ad productionem Spiritus sancti, eo quod Pater non possit spirare sine Filio, nec vicissim Filius sine Patre; non quod desit aliquid virtutis utrique seorsim sumpto, sed quia Spiritus sanctus est essentialiter Spiritus Patris & Filii, essentialiter habet oppositionem relativam cum Patre & Filio, essentialiter est notionalis amor & nexus mutuus Patris & Filii se mutuo amantium, & sic essentialiter est à duabus personis, Patre scilicet & Filio, conspirantibus.

ARTICULUS VII.

Utrum Spiritus sanctus distingueretur realiter à Filio, si non procederet ab eo.

NOta. Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, sed à solo Patre, 1. non esset Spiritus sanctus, qui nunc: nam, ut probatum est, Spiritus sanctus, qui nunc est, per se & essentialiter requirit duas personas spirantes. 2. Non esset idem Filius, qui nunc: nam Filius, qui nunc est, per se & essentialiter accipit naturam divinam cum fecunditate eam communicandi: imò nullus esset Filius in divinis; siquidem, ut suo loco probatum est, de ratione Filii est, ut accipiat naturam cum fecunditate eam ulterius communicandi. 3. Non esset idem Pater, qui nunc; imò nullus esset Pater in Deo: nam de ratione Patris est communicare naturam, ut fecundam. 4. Non esset eadem divinitas, quæ nunc: non enim haberet eandem exigentias, quas habet divinitas quæ nunc existit, & quæ sola possibilis est. Itaque ne questio sit nugatoria, intelligenda est de duabus personis,

Simonnet Theol. Tom. 1.

quarum una procederet per intellectum, & altera per voluntatem, absque eo quod una ab alia produceretur; de quibus adhuc queritur, an una ab alia distingueretur realiter? His præsuppositis, sit

PROPOSITIO

Spiritus sanctus non distingueretur realiter à Filio, si non procederet ab illo. Ita cum S. Thoma contra Scotum.

Prob. Quia in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. At si Spiritus sanctus non procederet à Filio, nullam haberent relationis oppositionem: nam in Deo omnis oppositio relativa fundatur in origine unius ab alio. Ergo essent unum. Ergo non distinguerentur realiter. Et verò si Spiritus sanctus non produceretur à Filio, tunc non magis genitum & spiratum distinguerentur inter se, quam genitor & spirator. Atqui genitor & spirator non distinguuntur realiter inter se propter defectum oppositionis relativæ. Ergo propter similem defectum, genitum & spiratum non distinguerentur inter se realiter.

Obj. 1. Patres, ut Athanasius, Augustinus & Anselmus, dum explicant quare Filius non sit Spiritus sanctus, nec vicissim, ajunt Filium non esse Spiritum sanctum, nec Spiritum sanctum esse Filium, quia unus per viam intellectus, & alter per viam voluntatis procedit; quia unus nascitur, & alter spiratur. Ergo ex Patribus, ut Filius distinguatur realiter à Spiritu sancto, sufficit ut Filius procedat per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem. Ergo ex Patribus, ut Filius distinguatur realiter à Spiritu sancto, non requiritur ut Spiritus sanctus ab eo procedat. *R. ad ant.* Patres, dum sic explicant quare Filius non sit Spiritus sanctus, non assignare rationem formalem & proximam distinctionis Filii à Spiritu sancto: nam hæc ratio est sola oppositio relativa fundata in origine unius ab alio; sed asserre tantum rationem radicalem, quæ revera consistit in eo quod Filius sit per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem: inde enim, ut suo loco explicatum est, Filius habet, ut possit cum Patre spirare Spiritum sanctum. Quantum autem pertinet ad Anselmum speciatim, hac in re mens ejus dubia est, ut fatetur ipse Scotus; unde utraque pars eum per se adducit. Non potest itaque firmum contra nos argumentum duci ab ejus autoritate.

Obj. 2. Si Spiritus sanctus non produceretur immediate à Patre, sed à solo Filio, adhuc distingueretur à Patre. Ergo similiter distingueretur à Filio, etiam si non procederet ab eo, sed à solo Patre. *Resp. neg. confeg.* Ratio negandi est, quia etiam si Spiritus sanctus non produceretur immediate à Patre, sed à solo Filio, adhuc esset à Patre mediata, velut à principio sui principii. Quod sufficit ad oppositionem relativam sufficientem ad distinctionem realem. Res enim non potest magis produci à se ipsa mediata, quàm immediate. [At si Spiritus sanctus produceretur à solo Patre, nullam haberet cum Filio oppositionem relativam, & sic non distingueretur ab eo realiter.]

Obj. In ea hypothesi, in qua Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc Filius & Spiritus sanctus procederent per diversa principia formalia, intellectum scilicet & voluntatem. Ergo essent adhuc duæ processiones totales, ut nunc. Sed eadem persona non potest procedere per duas processiones totales. Ergo adhuc essent duæ personæ realiter distinctæ. *R. neg. confeg.* Itaque sicut duo principia formalia, intellectus scilicet & voluntas, non distinguuntur realiter, sed logicè tantum, propter defectum oppositionis; ita duæ productiones, propter eundem defectum, non distinguerentur nisi virtualiter & logicè; ac per identitatem conflarent unam totalem productionem, cujus terminus esset una persona per intellectum & voluntatem producta, & quæ propterea simul esset Filius & Spiritus sanctus, juxta modum Thomistarum explicandi rationem Filii.

Obj. 4. Amor non producit à verbo in creatis, & tamen ab eo distinguitur. Ergo etiam si Spiritus sanctus non produceretur à Filio, adhuc ab eo distin-

gueretur. *R. neg. conf.* Ratio disparitatis est, quia in creatis distinctio realis non reperitur à sola oppositione relativa; sicut in divinis: in divinis enim propter summam identificabilitatem, ea omnia sunt unum realiter, quæ non habent inter se relationem producentis & producti. At in creatis multa ob solam limitationem distinguuntur inter se realiter, quæ nullam habent oppositionem, & planè disparata sunt.

Quæres. Quot sint nomina Spiritus sancti. *R. tria* præcipuè esse, nempe nomina Spiritus, Amoris, & Doni. 1. Itaque nomen Spiritus, quod primò institutum fuit ad significandam substantiam immaterialem, & quod proinde secundum primariam significationem commune est tribus personis, appropriatur tertiæ personæ, eo quòd procedat per viam amoris, cujus proprium est impellere amantem in amatum, & Spiritus in rebus corporeis significet impulsus & motionem, ut ait S. Thomas hic q. 36. art. 1. in O. Dicitur ergo tertia persona specialiter Spiritus, hoc est persona procedens per modum impulsus voluntatis amantis in objectum amatum; vel, si vis, per modum impulsus personæ amantis in personam amatam.

2. Nomen Amoris, primò institutum ad significandum actum illum, quo quis formaliter diligit, appropriatur Spiritui sancto, eo quòd procedat per viam amoris, & vi suæ productionis accipiat primò & immediatè essentiam divinam, ut est actus, quo Pater & Filius se mutuò diligunt, non quòd sit id quo Pater & Filius se mutuò amant. Et verò Pater & Filius non possunt dici nisi improprie diligere se Spiritu sancto, in quantum scilicet producendo illum per viam voluntatis, communicant illi naturam divinam primò & immediatè ut est amor, quo se mutuò amant; sicut Pater non dicitur nisi improprie intelligere Verbo, in quantum producendo illud per viam intellectus, communicat illi essentiam divinam primò & immediatè, ut est intellectio, qua ipse intelligit.

3. Denique, nomen Doni, primò institutum ad significandum bonum, quod alicui liberaliter tribuitur, appropriatur Spiritui sancto, eo quòd procedat per modum amoris, ac proinde per modum primi doni: nam amor primum & præcipuum donum est, vi cujus cetera omnia gratuito & liberaliter donantur.

